PETRI RAMI ...INSTITUTIONUM DIALECTICARUM LIBRI TRES, ...

Pierre : de La Ramée, Omer Talon

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
1 E
32

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

III III 2
10 10 13
A A 30

222M

Colleg. Soc. Jesu. Rom. Cat. inscrip. C.R.

PETRI RAMI

VEROMANDVI, ELOquẽtiæ & Philoſophiæ profeſſoris Regii Inſtitutionũ Dialecticarũ libri tres, Audomari Talæi prælectionibus illuſtrati,

AD

CAROLVM LOTHARINGVM *Cardinalem.*



Cum gratia & priuilegio Regis ac Senatus.

PARISIIS.

Ex typographia Matthæi Dauîdis, via amygdalina, ad Veritatis inſigne.

1552.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

12. 1. E. 32

PETRI RAMI ELOquentiæ & Philoſophiæ profeſſoris Regii Inſtitutionum Dialecticarum Præfatio,

AD

CAROLVM LOTHARINGVM, Cardinalem.

NON ignoras (Cardinalis & princeps illuſtriſsime) quemadmodum quondam tempeſtate vexati nautæ Deo munus aliquod offerebant, cuius ope ſibi viderentur ad portum perducti. Sic enim poeta,

Fortè ſacer Fauno foliis oleaſter amaris Aenei. 12
Hîc ſteterat, nautis olim venerabile lignum:
Seruati ex vndis vbi figere dona ſolebant
Laurenti diuo, & votas ſuſpendere veſtes.

Quare ſi tua ſingulari beneuolentia Ariſtotelici iudicij fluctibus erepti tabulam aliquam naufragij noſtri tibi offerimus, verendum, credo, mihi non erit, ne magis de præteritis malis conqueri, quàm debitam tibi & gratiam, & gratiæ materiā teſtificari videar: præſertim cùm mihi certum ſit, nō modò non pugnando, ſed omnia quæ in iſta cauſa aduerſariis meis libita fuerint, patienter ferendo, nouam victoriam reportare. Neque ſolùm ad humaniſsimum Thraſibúli exemplum, ἀμνη-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ςίαν, atque iniuriarũ obliuionem iurare, verùm omnes æmulos ad ingenij atque induſtriæ contentionem ea lege prouocare, vt ſi me, quod facillimũ eſt, honeſtis ſtudiis & vigiliis vicerint, Deo optimo maximo gratias habeam, quòd vel aduerſarios mihi deeſſe noluerit, quos honeſtè imitari poſſem. Fuerimus igitur omnibus tempeſtatis ſæuiſſimæ procellis ac ventis, Ariſtotelico iudicio iactati: liceat tamen ἀμνηςίαν vſurpare, liceat hanc in partem etiam errare, vt exiſtimemus excitandi & confirmandi ingenij gratia, in tantum rerum diſcrimen, quaſi aliquod certamen nos inci diſſe: Cogitemúſque potius de ſingulari clemẽtia tua: qua tam atroci turbine liberati, reſciſſáque Ariſtotelici iudicij ſententia, priſtinæ libertati reſtituti ſumus. Atque, vt beneficij tui lætitia & gratulatio ex intimo penitus animo promatur, nõ ſolùm carmen à Lyrico poeta, ſed lyram ipſam iam nunc aſſumamus,

Horat. 1. Carm.

Mecœnas, atauis edite regibus,
O & præſidium & dulce decus meum

perge iſta tua cæleſti & diuina virtute frui, afflictos excitare, miſeros conſolari, oppreſſos liberare periculis, ſupplicibus non ſolùm dexteram, ſed etiam operam, induſtriam, mẽtem denique totam præſtare. Charum, mihi crede, eſſe principem, bene de ciuibus ſuis mereri, diligi, coli glorioſum eſt. Qui verò metui, quàm amari: quiq́ potentiam, quàm

æquitatem ſuam prædicari malunt, hi verum iter gloriæ prorſus ignorant. Multæ ſunt & eximiæ laudes tuæ: generis ampliſsimi claritas, naturæ atque ingenij dona prorſus admiranda, plurimæ literæ & diuinæ & humanæ magnis ſtudiis acquiſitæ, tanta in hac ætate ſapientia, quãtam ad res maximas perſpiciendũ ſeni ſatis ſit optare, ſingulares honores additi: vt & principatum inter Franciæ pares & ſummum in maximi adminiſtratione regni locum obtineres: quinetiã ampliſſimo de tua virtute põtificis maximi iudicio nũc nuper in Cardinalium ordinẽ cooptatus eſſes: Quæ laudes tametſi maximæ ſunt, hominum tamen celebratione & ſermone continẽtur. Verùm manſuetudinis, beneficentiæ, charitatis gradibus (dicã verò liberè quod verè poſſum) in cælum ipſum mihi vidêris aſcẽdere. Quare virtutem tam præſtantem, princeps omnium humaniſsime principũ, conſerua ac retine: eíque dicatas (vt gratiæ materiam cum gratia quoque tibi perſoluam) Inſtitutiones dialecticas accipe. In quibus tecum noſtri homines clariſsimè percipiẽt, nos improbis calumniis & biennio iam antè apud Frãciſcum regem, & proximo ſuperiore menſe apud Senatum Pariſienſem vexatos atque agitatos eſſe. Neque enim Dialecticam oppugnamus (vt ignari rerũ & imperiti homines nobis obtrectant) ſed inſigniorem atque abſolutiorem, quàm iis adhuc nota fuerit,

Quid inſtitutiones hæ differant à Dialecticis Ariſtoteleorũ

oſtendimus. Nos enim huius artis & deſcriptionem & illuſtrationem, & vſum faxit tandem Deus optimus maximus, vt homines intelligant, quàm differentem ab Ariſtoteleis oſtendamus.

Differentia in præceptis.

Vt ſermonis (cuius ars eſt Grammatica) ſic rationis (cuius doctrina eſt Dialectica) vis eſt quædam generalis & vniuerſa: qua vt illic quiduis loquimur, ita hîc prouidemus, æſtimamus, percipimus. Hanc generalẽ ratiocinandi virtutem definiendo complectimur: inuentionis & diſpoſitionis partibus primũ diſtinguimus. deinde vtriuſque partis ſingulas particulas ſuo loco & ordine perſequimur: nullum, quod ab Ariſtotleis tradatur, verum præceptum omittimus: nullum tamen aut inutile ponimus, aut iteratione nugatoria ſæpius iteramus. Ariſtotelei ſubiectam huic arti generalem illam vim rationis tam multis libris organi logici (ſic enim Ariſtotelica Dialectica nominantur) nuſquam definiunt: duas illas veras partes inuentionis & diſpoſitionis, falſis fragmentis prædicabilium, prædicamentorum, interpretationum, analyticorum, topicorum, elenchorum confundunt. In quibus & multa neceſſaria (quæ complectimur) omittunt: de cauſarum, ſubiectorum, adiunctorum, diſſentaneorum, comparationum, diſtributionum, teſtimoniorũ, coniunctarum concluſionum partibus & modis, déque omni via ac rationis ordine: & ſæpe docent inutilia, vt vix, ac ne vix

quidem decima pars tam prolixæ commentationis vllam veræ rationis ſcintillam contineat: & quæ dialecticæ vel inuẽtionis, vel diſpoſitionis propria præcipiunt, tam ſæpe, támque nugatoriè repetunt, támque obſcurè cum cæteris inutilibus inuoluunt, vt raræ quædam milij grana denſis & confuſis ſpinis obruta videantur. Dialecticam igitur nihil hîc oppugnamus. Nos (quod illuſtrationis eſt) nullum in arte præceptum ponimus, quod perſpicuis inſignium hominum teſtimoniis & exemplis non explicemus, Ciceronis maximè & Virgilij: ſed reliquorum quoque authorum, quos Latinè præcipienti ſequi licuit. Ariſtotelei præcipiunt ad perſpicuè docendum exemplis opus eſſe non obſcuris, qualia ſunt apud Chærilũ: ſed illuſtribus, qualia ſunt apud Homerum. At tanquam ſomniantes id præceperint, nullam in tam magno tot voluminum corpore ſalis cuiuſquam micam aſperſerunt: nullum exemplum, non modò Homericum, aut Platonicum (vt nos Virgilianum vnũquodque ferè ac Ciceronianũ) ſed ne Chærileum quidẽ adhibuerunt: imò verò in maxima tot inſtitutionum (quas habent) parte vix vllum falſum ſaltem, confingere queant: ita ab omni humanæ conſuetudinis ratione prorſus abhorrẽt. Dialecticam igitur nihil hîc oppugnamus. Nos (quod ad vſum poſtremò attinet) artis exercitationem tam latè adhibemus, quàm longè patet vis naturæ & ar-

Differentia in exẽplis.

Differentia in vſu

tis: vt iuuentus huic diſciplinæ dedita, propoſiti vel poetæ, vel oratoris, vel cuiuſuis exempli conſilium ex argumenti genere, iudicium ex concluſionis ſpecie, methodum ex perpetua diſpoſitionis ordine perſpiciat: aliquid deinde ſimile conetur & efficiat: atque omnes artis partes ad confirmandam ingenij ſolertiam, & animi mentíſque prudẽtiam exprimat: in eóque ſicut antea Grammaticæ cũ Rhetorica: ita nũc Rhotoricæ cum Dialectica exercitationem & vſum ſcribendo dicendóque coniungat. Hac enim coniunctione (vt in oratione hac de re dicta, & ad te miſſa docuimus) ualde ſperamus futurum, vt artem non ſolũ clariorem atque perfectiorem, ſed vſum etiã fructúmque præſtantiorem conſequamur. Ariſtotelei inerti atque inſulſæ confuſioni (quam in organi ſui commentis habent) conſentaneam exercitationem adiungunt: nullius inſignis authoris inuentionem, diſpoſitionémue ſuis præceptis explicant: nec idcirco virtutes eius vel aſſequi, vel imitari curant: de ſolis inanium præceptiuncularum ſpinis in ſchola (quaſi Dialectica ad ſcholaſticas de ſe duntaxat altercationes inuenta ſit) triennium ferè totum clamitant: contemnunt poetas, remouent oratores, omnes elegantis & ornatæ diſciplinæ homines reſpuunt: iíſque philoſophiam ſuam labefactari putant. Vt interea cùm propriè & ornatè loqui (ſi fortè iſta bona antea percepiſſent)

dedidicerint, temerè & pertinaciter cuiuis obloqui (quod dediſcendum poſtea ſit) didicerint, id eſt linguam & cor amiſerint, magnam in Dialectica & præclaram laudem ſe conſecutos arbitrentur: quinetiã vociferentur irati, Theologiam à nobis & artes eneruari (his enim verbis Ariſtotelicæ accuſationis caput fuit) ſi tam miſeræ, támque bonis ingeniis exitioſæ calamitati medicinam adhibere cupiamus. Dialecticam denique nihil hîc oppugnamus, verùm clariorem & perfectiorem omnino demonſtramus. Sed his inſtitutionibus collationis inductæ πρότασιν μὲν, ἀνταπόδοσιν δὲ (cùm maius otium nobis erit) diligẽtius & accuratius exequemur. Quamobrem hac vna (vt ſuſpenſi tibi pro naufragio donarij vota concludam)

Horat. 1. Carm.

-me tabula ſacer
Votiua paries indicet humida
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris deo.

PETRI RAMI ELOquentiæ & Philoſophiæ profeſſoris Regii Inſtitutionum Dialecticarum Liber primus.

DIALECTICA,[1] virtus eſt diſſerendi, quod vi nominis intelligitur:[2] διαλέγεσθαι enim, vnde Dialectica nominatur, & diſſerere vnũ idémque valẽt, idémque eſt diſputare, diſceptare, atque omnino ratione vti: hoc primũ eſt huius artis nomen: 3 poſtea verò Logice, eadem tamen ſignificatione dicta eſt. Quibus nominibus Latini contenti nullum ſuæ linguæ proprium quæſiuerunt. 4 Tametſi enim Cicero & Quintilianus, hic diſputatricem, ille diſceptatricem velut aliud agentes videantur appellaſſe: vterque tamen Græca vocabula maluit: 5 & nos pro Latinis licet cum illis vta-

mur. 6 Comparatur autẽ Dialectica, 7 ſicut facultas artium reliquarũ, natura, doctrina, exercitatione. 8 Natura nanque diſſerendi principium iuſtituit, inſtitutũ doctrina propriis & idoneis præceptis inſtruit, inſtructũ ab arte exercitatio in opus educit, atque ita abſoluit. 9 Vt ſi puer hic inſtituendus ſit, 10 is naturaliter propenſus eſt ad ratiocinãdum: ídque licet imbecillius, tamen per ſe ipſum efficiet: 11 certius autem multò, conſtantiúſque cognitis artis præceptis & exercitatione adhibita.

STVDIVM noſtrũ in hac, quã inſtituimus, Dialectica commentatione duplex erit: Vnum non ſolùm præcepta huius artis, ſed etiam præceptorum exempla ſingula planius & vberius interpretandi: alterum, hæc eadem cum libris organi dialectici, qui Ariſtoteli tribuuntur, comparandi. nam & facilis interpretatio lucẽ aliquam dialecticis inſtitutionibus adferet, & perpetua comparatio, quæ Dialecticæ partes in organi Ariſtotelici libris prætermiſſæ, & quo ordine quæque expoſitæ ſunt, admonebit.

1 Principio generalis definitio Dialecticæ ponitur, quæ natura, præceptis, & vſu confirmata eſt. Sic enim primò declarandũ & explicãdũ fuit quod hîc erat optimũ & perfectiſsimũ: velut, exempli gratia, Dialectica definitur perfecta virtus, nõ quidem moralis, ſed virtus mentis ac rationis, qua qui ſit præditus, diſſerere & ratiocinari, & quiduis ratione expedire poſsit. Quoties enim ratione vtimur, toties dialectico munere fungimur. Nec tantùm ad ſcholaſticas concertationes hæc diſſerẽdi ratio pertinet, vt quidã putant: ſed tã latè pa-

tet, quàm vis humanæ mentis: atque vt Grammatica circa puritatem ſermonis, Rhetorica circa ornatū verſatur: ſic Dialectica communis rebus omnibus ratione tractandis, id eſt, inueniēdis & diſponendis prudentia quædam eſt, qua omnes artes inuētæ & deſcriptæ ſunt: quæ cùm differunt, non ſua quadam & propria, ſed communi dialecticorū facultate differunt. Dialectica enim generales differendi, id eſt, inueniēdi & diſponendi leges tradit, quibus reliquæ artes cōmuniter vtūtur, vt nō potius grammaticus & rhetor, & arithmeticus, reliquarúmque artium & facultatum homines differant, quàm dialecticus grāmaticus, dialecticus rhetor, dialecticus arithmeticus, dialecticus geometra. Et quanquam reliquarum artium præcepta à Dialecticæ præceptis ſeparantur, vſus tamen aliarum artium Dialecticæ vſu carere non poteſt, ſicut in peroratione dicetur.

Quid Ariſtoteles de Dialecticæ virtutis definitione?

In libris organi logici generalis Dialecticæ definitio deſideratur, cùm tamen ſit in præceptis dialecticis poſitum, & inter omnes philoſophos antiquos conueniat, vt in omni legitima inſtitutione & doctrina res primùm, de qua agitur, quid ſit, explicetur, ſicut in Phædro Socrates admonet.

2 Dialecticæ notatio & etymologia, de qua ſic Socrates in Alcibiade, τὸ δὲ διαλέγεσθαι, καὶ τῷ λόγῳ χρῆσθαι, ταυτὸν που καλεῖς; Alcib. πάνυ γε. Differere, & ratione vti nunquid idem vocas? Alcib. Sanè quidem. Differendi autē nomen ab agricolis & cōnſitoribus traductum eſſe Varro docet, Vt enim, ait, olitor differit in areas ſui cuiuſcunque generis res: ſic in oratione, qui facit, differere dicitur. Diſputare, vt ait idem Varro, eſt quaſi purū facere, & per metaphoram ratione vti, conſiderare, meditari: quòd virtus rationis humanæ vera à falſis, vtilia ab inutilibus, bona à malis diſcernit. Et

licet vtrunque vocabulum ad vnam partem Dialecticæ diſpoſitionem (ſi vim & originem metaphoræ ſpectamus) pertineat, doctrinæ tamen gratia, pro διαλέγεσθαι per catachreſim vſurpabitur ad ſignificandam totã vim dialecticam, quæ in inueniendo & diſponendo poſita eſt. Diſceptare ſumitur ex veteri conſuetudine dialecticorũ, quæſtionem in varias partes diſtrahentiũ: cùm alius partem vnam, alius contrariam gymnaſticæ exercitationis gratia in ſcholis arriperet. Sed per catachreſim hîc tantundem valebit, quantum διαλέγεσθαι.

3 Plato libro 7. de Republica, vt ſæpe aliàs, Dialecticæ nomine vſus eſt. Valla libro 3. putat hanc artẽ primùm ab Ariſtotele logicam fuiſſe appellatam. Vtriuſque autem nominis eadem vis eſt, cùm διαλέγεσθαι & λογίζεσθαι idem ſignificent.

4 Quintilianus libro 2. capite 23. Etiam, ait, diſputatrix virtus erit: & cap. 2. lib. 12. Ita hæc pars Dialecticæ, ſiue illam diſputatricem dícere maluimus. Cic. in Lucullo, Dialecticam inuentam eſſe dicitis veri & falſi quaſi diſceptatricem.

5 Cicero libro 3. de Finibus, Quanquã ea verba, quibus ex inſtituto veterum vtimur pro Latinis, vt ipſa Philoſophia, Dialectica, Rhetorica, Grammatica, Geometria, Muſica Latinè dici poterant: tamen quia vſu percepta ſunt, noſtra ducamus. Et Academico primo, Enitar vt Latinè loquar, niſi in huiuſmodi verbis, vt Philoſophiam, aut Rhetoricam, aut Phyſicam, aut Dialecticam appellẽ, quibus, vt aliis multis, iam vtimur pro Latinis.

6 Partitio generalis dialecticæ virtutis ſequitur ex tribus cauſis efficientibus, natura, doctrina & exercitatione: quam Plato in Phedro omnium humanarũ virtutum cõmunem facit: quæ tribus hiſce rebus perfectæ ſunt: quanuis tamen ſingularũ virtutum ſua natura, ars & exercitatio propria ſit. Naturã hîc voco vim humanæ mentis & rationis ad diſſerendum: doctrinam præcepta de argumentis, ſyllogiſmis & methodo: exercita-

tionem ſtudium & meditationem non ſolùm in perſpiciendis & interpretandis bonis authoribus, ſed in omni genere ſcriptionis & dictionis.

Quid Ariſtoteles de generali partitione Dialecticæ?

Hanc tripertitam dialecticę virtutis diuiſionē Ariſtoteles in tam multis de Dialectica libris non oſtēdit, cùm tamen ſit fundamentum, quo reliqua doctrinæ & artis exædificatio nitatur.

7 Hoc tamen intereſt, quòd in aliis artibus natura & materia, diuerſæ res ſunt: vt in medicina natura eſt ingenium medici, materia verò eſt ſanitas, morbi, medicamentum, & cætera quæ præceptis medicinę continentur. Contrà verò in Dialectica, eadem res eſt, natura & materia, quam ars interpretatur, naturalis ſcilicet rationis virtus, & impetus mentis ad diſſerendum.

8 Tres Dialecticæ virtutis cauſſæ, quā vim habeāt, oſtenditur: natura propenſionem, doctrina conſiliū & confirmationem, exercitatio perfectionem tribuit.

9 Exemplum ad proximam diuiſionem illuſtrandā adhibetur.

10 Omnis enim homo eſt particeps rationis, quæ quāuis in prima ætate imbecilla & infirma ſit, per ſe tamen aliquid efficit, vt apparet in pueris, qui diſcere aliquid, & inquirere & commentari cupiunt, & argumētis facilè ducuntur, & cum aliis libēter diſputant: ídque natura duce ſine vlla arte faciunt,

11 Ars enim, vt ait Cicero 4. de finib. & libro 1 de Oratore, dux eſt certior quàm natura: habet enim quędam, quaſi ad commonendum quò quidque referas, & quò intuens ab eo quod tibi propoſueris, minus aberres. Hic igitur dialecticæ artis finis eſt, hæc vtilitas, hic fructus, vt quod naturali lumine fretus facis, adhibita doctrina, & perſpectis omnibus præceptis argumentorum, ſyllogiſmorum, & methodi, melius & certius poſſis efficere.

1 Naturalis autem propenſionis ad diſſerendum fines, quouſque progredi poſsint, ars intuetur, & præceptis ad vſum naturæ congruētibus interpretatur. Ars igitur dialectica, eſt doctrina diſſerendi. 2 Id verò, de quo diſſeritur, quæſtio eſt: vt ſi quæras, an dialecticus ſit philoſophus. Cuius partes duę ſunt: altera antecedit, vt in quæſtione propoſita, dialecticus: altera ſequitur, vt philoſophus: 3 illa minor, hæc maior appelletur.

4 Dialecticæ artis partes duæ ſunt, Inuentio & diſpoſitio: poſita enim quæſtione, de qua diſſerendum ſit, argumenta quæruntur: deinde iis via & ordine diſpoſitis, quæſtio ipſa explicatur: tertia mentis actio in diſſerendo nulla eſt. 5 Inuentio eſt doctrina cogitandi & inueniēdi argumenti, 6 id eſt, probationis ad explicandam quæſtionē idoneæ: Cuius ſumma & intermedia genera nulla adhuc vera cognouimus: vt tamen ars diſtinctius exponatur, vtcūque licebit, ex circunſtantiis partiamur. 7 Prima & antiquiſsima partitio eſt: vt alia ſint inſita, alia ſint aſſumpta. 8 Inſita quæ in partibus quæſtionis hærēt: quorū quædam prima ſunt, quædam à primis orta. Prioris generis alia rei ſunt, alia nominis: & ex illis alia ſimplicia, alia cōparata: & è ſimplicibus alia poſtremò con-

ſentanea, alia diſſentanea. 9 Conſentaneum argumentum inſitum eſt, quod alteri parti quæſtionis, cui conſentaneum dicitur, conſentit & conſonat: cuius quatuor ſunt ſpecies, cauſa, effectum, ſubiectum, adiunctum.

CAVSA, AC PRIMVM FINIS.

1 Cauſa, appellatur id cuius vi aliquid eſt: vt finis, forma, efficiens, materia. 2 Finis, cuius gratia fit aliquid: vt Cicero in Legibus finem bonorum ait eſſe, quò referuntur, & cuius cauſa ſunt facienda omnia. 3 Hoc argumento idem vrget vehemẽter Tuberonem, cùm armorum cõtra Cæſarem ſuſceptorum conſilium & finem premit, Quid enim Tubero, ait, tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica 4 gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Nimis vrgeo: commoueri videtur adoleſcens, ad me reuertar. Iiſdem in armis fui. Quid autẽ aliud ęgimus, Tubero, niſi vt quod hic poteſt, nos poſſemus? 5 Sic Iuno cõnubii finem aſſumit, cùm AEolo Deiopeiam pollicetur ſolatii ſcilicet prolíſque gratia,

Lib.1. *Pro Ligario.* *Aenei. 1.*

6 *Sunt mihi bis ſeptem præſtãti corpore nymphæ:*
Quarum quæ forma pulcherrima Deiopeiam
Connubio iungam ſtabili, propriámque dicabo.

Omnes Vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

7 Hæc cauſa omnium nobiliſsima eſt, & ad quam cæteræ referuntur: vt qui ſit eam conſecutus, reliquas omnes ſit aſſecutus.

FORMA.

8 Forma, eſt cauſa per quam vnaquæque res eſt, id quod eſt, & à cæteris diſtinguitur rebus: vt hominis forma, anima compos rationis. Hæc enim cauſa eſt, vt homo ſit, & à cæteris omnibus rebus ſit diſtinctus. Sic domus, ſic nauis, ſic ignis, ſic terræ, cęterarúmque rerũ omniũ, ſeu naturalis, ſeu artificioſa ſua forma eſt: 9 quanuis ea quid ſit frequenter ignoretur. Huius cauſæ priuatione chaos deſcribitur in Metamorphoſi ab Ouidio, 10

Ante mare, & terras, et, quod tegit omnia, cælũ, *Libro* 1.
Vnus erat toto naturæ Vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis, indigeſtáque moles:
Nec quicquã, niſi pondus iners, congeſtáque eodem
Non bene iunctarum diſcordia 11 *ſemina rerum.*

Hoc argumenti genere tota illius poetæ Metamorphoſis ferè cõtexitur, quemadmodum etiam initio indicat,

In noua fert animus mutatas dicere formas
Corpora.

12 Hæc cauſa veriſsimam cognitionem

rei ſcientiámque efficit : vt ſi Iupiter ipſe cum Pallade de re aliqua diſputet, nõ excellentiorem cauſam ſciẽtiæ aut diuiniorem requirat. Atque idcirco videtur diuinæ ſapientiæ permultis in rebus reſeruata, hominibus negata.

1 Artis dialecticæ definitio demonſtratur ex eo cauſarum fonte, vnde omnes artis partes ſumi & demonſtrari poſsũt. Hæc enim ab obſeruatione naturalis Dialecticæ proficiſci debet, quemadmodum reliquæ artes imaginem aliquam effingere conãtur, cuius veritas in re aliqua ſolida & expreſſa appareat. Quòd ſi requiras, vbinam reperietur exemplar illud naturæ, quod ars ſuis præceptis imitetur & exprimat? in variis, inquam, hominum diſputationibus & exemplis longa obſeruatione & animaduerſione inueniri poteſt. Naturalis autem Dialectica, vis eſt rationis mentibus noſtris inſita, per quam diſputamus & ratiocinamur, per quam mouemur & excitamur ad inquiſitionem & inueſtigationem rerum, per quam, vt per Solem mundus, ſic animus partibus omnibus illuminatur, per quam multis ſeculis, antequam vlla de diſſerendo litera ſcriberetur, innumerabiles homines prudenter & acutè diſputarunt, diſſeruerunt, & ratiocinati ſunt. In deſcribendis igitur dialecticis præceptis propoſita nobis erit naturalis bene diſſerentium conſuetudo, vt artem accommodatam naturæ faciamus. Ars igitur dialectica quoniam eſt imitatio naturalis Dialecticæ, definienda eſt doctrina diſſerendi de rebus omnibus, vt tam latè pateat per Poetas, Oratores, Hiſtoricos, Philoſophos, Legumlatores, ſcriptores artium & doctores, quàm vis illa, & facultas humanæ rationis.

*Quid in organo de definitione dialecti-
ca artis?*

Libri organi logici generatim nõ definiunt artem dialecticã,cuius ſe magiſtros & interpretes prædicant, ſed Dialecticæ nomine ſcholaſticã doctrinã tradũt de problemate accidentis,generis,proprii,definitionis.

2 Dialecticæ artis definitio illuſtratur explicatione ſubiecta rei de qua diſſeritur,quæ generatim dicitur quæſtio,id eſt,id de quo agitur,quod probatur,quod diſputatur,quod ratione explicatur:quod interdũ in interrogationem cadit, vt fit plerunque in colloquiis & dialogis:interdum proponitur tantùm,non etiã interrogatur,vt in continua & perpetua oratione,vbi antecedentia conſequentibus probantur & demonſtrãtur. Quæſtio igitur eſt diſputationi ſubiecta materies, ad quam tractandam & explicandam argumenta probationéſque referuntur. Ac dialecticæ inuentionis vſus tantùm poſtulat,vt præcipiamus in hac arte duas quæſtionis partes videre,maiorem & minorem, vnde argumenta inueniuntur,& inuenta cum his partibus diſponuntur:præterea nihil.

Quid Ariſtoteles de quæſtionis definitione & diuiſione?

Ariſtoteles nuſquam quæſtioné generaliter & dialecticè definiuit.Analytico primo,licet verbis non expreſſerit, reipſa tamen indicauit partitionem in duo membra,cùm duo extrema quæſtionis iubet inſpicere, & medium,quod in ſyllogiſmo cum his legitimè collocetur:quam tamen quæſtionis commoditatem in dialecticis præceptis explicandis ſecutus non eſt:ſed quæſtioné in poſterioribus Analyticis in quatuor genera diſtribuit,an eſt , quid eſt,quia eſt, & propter quid eſt: & in Topicis quatuor genera problematis inſtituit: quæ quæſtionum diuiſiones non tantùm mutilæ ſunt & imperfectæ,ſed in arte dialectica prorſus inutiles.in

arte enim communi & generali inutile eſt ſubiectam artificis materiam in ſpecies diuidere, vt in Grammatica inutile eſt diuidere, quibus de rebus grammaticus loquatur, & in Rhetorica inutile diuidere quid rhetor eloquatur, & in Arithmetica quid arithmeticus numeret. Sed Dialectica tota cõmunis eſt & generalis: tota enim inuentio & diſpoſitio communis eſt omnium quæſtionum. Quæſtio igitur, quæ eſt materies dialectici, in dialectica arte diuidi in ſpecies non debet.

3 Poterat illa ſubiecta, vel antecedens pars appellari, hæc conſequens, vel attributa: ſed hæc nomina idcirco in ſchola trita ſunt, quòd pars antecedẽs in quæſtione ſoleat eſſe minoris ſignificationis, conſequẽs maioris: licet interdum etiam ſecus accidat.

4 Artis dialecticæ partes cum partitione naturalis vſus debent congruere. Cùm verò de re quapiam propoſita diſſerimus, primùm rationes & argumenta eius rei quærimus, tum certa via & ratione diſponimus ad quæſtionem explicandam: tertium præterea munus rationis in diſſerẽdo nullum eſt: vnde conſtat duas huius doctrinæ partes eſſe, inuẽtionem & diſpoſitionem: quarum vſus licet in diſſerendo cõiunctus ſit, præcepta tamen de argumẽtis, ſyllogiſmis & methodo ſeparanda ſunt, vt in grammatica arte ſeorſum de literis, ſyllabis, vocabulis, & eorum ſyntaxi præcipitur: quanuis earum rerum vſus in eadem oratione confuſus & permiſtus ſit.

Quid Ariſtoteles de diuiſione dialecticæ artis?

Tametſi Ariſtoteles in organo logico dialecticam artem nec generali partitione, nec prçceptis ſeparatim poſitis ſatis artificioſe diſtinxit: aliquando tamen velut aliud agens in hanc partitionem incidit, vt analytico primo, cùm totam Dialecticam ſtatuit in inuentione medij, & in texendo retexẽdóque ſyllogiſmo, & octa-

uo topico, cùm dialectico interroganti tria tribuit, inuentionem, diſpoſitionem, & eloquutionem: videtur autem Ariſtoteles aliis libris dialecticis, qui nõ extant, hanc veram inuentionis & diſpoſitionis partitionem & doctrinã adhibuiſſe, cùm Cicero in Topicis vtriuſque partis eum principem & authorem eſſe confirmet. Dialecticæ autem artis partes germanæ naturaléſque ſunt argumentum & argumentatio, id eſt argumenti collocatio, ſi argumentationis nomine quamuis argumenti diſpoſitionem intelligamus: ſed cùm ſuperiora illa duo nomina, inuẽtio & diſpoſitio, id quod volumus, ſignificent, & in dialecticis præceptis trita ſint, in hac ſignificatione mutanda non ſunt.

5 Hæc prior pars Dialecticæ magis propriè, vt dixi, argumentum appellaretur: Omnes enim artes (vt ait Plato in Menone) inuentiones quædam ſunt, docéntque aliquid inuenire: quo modo diſpoſitio dialectica inuentio eſſe poſsit, quia docet inuenire modos ſyllogiſmorum: ſed quia nomen hoc vno conſenſu poſitum eſt ad ſignificandam doctrinam de argumentis, retineatur in hac ſignificatione. Inuẽtio igitur eſt doctrina inueniendi argumenti, nõ quòd nobis quærentibus argumenta ad diſputandum ſuppeditet, ſed quòd argumentorum genera maximè generalia tradat, & explicet, quorum admonitione ad inquirendum quid de quaque re dici poſsit, excitamur & ducimur. Hęc igitur ars explicat quid ſit argumentum, & argumenti genera rectè atque ex ordine definitionibus, diuiſionibus & exemplis idoneis interpretatur.

Quid Ariſtoteles de inuentione dialectica?

Organum logicum hanc primam dialecticæ artis partem nec loco, nec ordine tradit: nec vlla in parte naturale rationis exemplar ad cogitãdum quod de re propoſita dici poſsit, deſcribit: niſi quis fortè exiſtimat

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

hoc ipſum ab Ariſtotele in Topicis eſſe perfectū: quod tamen longè ſecus eſt, præſertim cùm generalia præcepta de argumentis non ſint ad omnes quæſtiones tractandas, nec argumentorum genera definiantur, legitiméque declarētur, ſed vana & inutilis præceptio, quæ nihil penè habet dialecticum, ad diſputandum de quadruplici problemate, accidētis, generis, proprii, definitionis proponatur.

6 Argumentum, definitur probatio ad explicandam quęſtionem idonea: quod etiam vi nominis intelligitur: nam arguere eſt oſtendere & demonſtrare: vt,

-Degeneres animos timor arguit.

Qùid Ariſtoteles de argumenti definitione?

Nihil.

7 Argumēti partitionem licet aliter interpretetur Ariſtoteles, primus nobis oſtendit in Rhetoricis libris, in quibus multò melius, & ad diſſerendum vtilius inuentionem docet, quàm in organo logico: Fabius capite primo libri quinti, Ac prima quidem, ait, illa partitio ab Ariſtotele tradita conſenſum ferè omnium meruit, alias eſſe probationes, quas extra dicendi rationem acciperet orator: alias quas ex cauſa traheret ipſe, & quodammodo gigneret, ideóque illas ἀτέχνους, id eſt inartificiales, has ἐντέχνους, id eſt artificiales vocauerunt. quam Ariſtotelis authoritatem Cicero ſequutus, argumentum ſimiliter diuidit in inſitum & aſſumptum: quibus vocabulis, quoniam hæc ars vſu trita habet, nobis vti licebit, definitionibus tamen horū paulò aliter diſtinctis, & ad generalem inuentionis prudentiam rectius & melius accommodatis.

8 Inſita argumenta quæ hęrent in partibus quæſtionis, aut in vna, aut in pluribus, ut in ſingulis generibus poſtea percipiętur.

9 Conſentaneũ argumentum inſitum & ſimplex eſt,quod alteri parti quæſtionis conſentit & conſonat: vt ſi quæratur,an virtus ſit expetenda, & argumentum ſumatur LAVDABILE,ipſum Laudabile,conſentaneũ eſt antecedenti parti quæſtionis,quæ eſt virtus.

Quid Ariſtoteles de argumenti diuiſione?

Nulla conſtans & certa diſtributio eſt argumenti in toto opere logico,tametſi de his rebus,quæ ſpeciem quandam habent argumentorũ,variæ partitiones exiſtant,cùm aliâs quinque ponantur,genus,ſpecies, differentia,proprium,& accidens, vt apud Porphyrium: aliâs decem genera,vt in categoriis:aliâs ea quæ dicũtur de aliquo,quæ ſubiiciuntur,& quæ vtrunque faciũt, vt in prioribus Analyticis:aliâs inſtrumenta & loci, vt in Topicis. Quare in tam multis libris nullam animaduertere poſſumus inuentionem & doctrinam argumẽti certis & veris generibus aptè diſtinctam, cùm argumentum neque definitum,neque partitum,neque partibus ſingulis ex ordine expoſitum, neque ad generalem dicendi vſum accommodatũ,neque dſtinctis præceptis,&in proprias inſtitutiones incluſis explicatũ ſit, ſed indefinitum,indigeſtũ,cum alienis præceptis cõfuſum,ad ſcholaſticas cõtentiones ineptè traductũ,multis locis & libris diſputatum,vt chaos inuentionis dialecticæ,nõ ars & doctrina propriis & idoneis præceptis informata eſſe videatur.

DE CAVSIS.

1 Quod ad ordinem argumentorum pertinet, ea præcedunt in docendo, quorum cognitio ſimplex & prima & ſeipſa contenta eſt:ea verò ſequuntur,quę ex antecedentibus quodãmodo naſcuntur, & intelligentiæ ſuæ lucem capiunt.In omni autem rerum cogitatione & conſideratione primùm cauſæ occurrunt,tum

effecta his reſpondĕt,&reliqua deinceps eo ordine qui maximè naturalis & idoneus viſus eſt, explicantur. Cùm igitur cauſæ dialecticarum probationum principes & primæ ſint,ab his iure principium huius doctrinæ ducitur. Nec vero ſequitur, ſi in diſputando à definitione rei de qua agitur ordiendum ſit, vt in doctrina argumentorum, definitio quid ſit, primo loco exponi debeat: eſt enim aliud rem quampiam definire, aliud definitionis præcepta communia & generalia tradere: quæ quidem intelligi non poſſunt niſi ex antecedentibus cauſarum, effectorum, ſubiectorum, adiunctorum,diſſentaneorum,comparatorum pręceptis expoſitis,vt poſtea perſpicuè & clarè docebimus.

2 Finis nomen tranſlatum videtur eſſe à terminis, quibus res concluduntur:ad finem enim cauſæ reliquæ referuntur, & vnaquæque res ſuo fine comprehenditur:ſic beatam vitam philoſophi finem bonorum appellant, quò omnia conſilia, & rectè facta hominum referri debeant. Cùm igitur Cicero libro primo de Legibus prouidĕtiam diuinam commemoratione earum rerum,quas Deus homini tribuit, laudaſſet, Vidéſne, inquit,vt ex alio alia nectantur? quin labebar longius, niſi me retinuiſſem. Quintus Frater, Quò tandem? libenter enim frater, tecum ad iſtam orationem prolaberer. M. Ad finem bonorum, quò referuntur,& cuius gratia ſunt facienda omnia.

3 Hac interrogatione Cicero multa oratoriè cumulat,quorum finis poſtea ſubiicitur:vt hæc argumenti vis ſit,Pugnaſti contra Cęſarem,vt victor potentiam haberes eam,quam Cęſar habet:ita finis belli aduerſus Cæſarem ſuſcepti hoc loco premitur.

4 Metonymia eſt,qua adiuncta dicuntur pro ſubiectis perſonis,vt gladius & arma pro accincto enſe & armato.

5 Primo AEneidos hic locus eſt, vbi Iuno Troianis infenſa,cùm eos in Italiā proſperè nauigare ſenſiſ-

ſet, ad eos vexandum, & tempeſtate diſiiciendum contulit ſe ad AEolum ventorũ regem, & vexationis præmium AEolo propoſuit Deiopeiam nympham coniugem, donúmque ipſum duplici fine coniugii amplificat, ſolatio vitæ, & pulchra prole.

6 Iuno enim eſt aer, de quo nubes creantur: ex nubibus aquę fiunt, quæ à poetis nymphæ dicuntur, ait Seruius.

Hoc argumento à fine Horatius Torquatum ab auaritia reuocat, *In epiſt.*

Quò mihi fortuna eſt, ſi non conceditur vti?

Et Martialis Sexto diſſuadet, ne Romam proficiſcatur, refellendo conſilii fine, *Libro 5.*

Quæ te cauſa trahit, vel quæ fiducia Romam
Sexte? quid aut ſperas, aut petis inde? refer.
Cauſas, inquis, agam Cicerone diſertius ipſo:
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.
Egit Ateſtinus cauſas, & ciuis, vtrunque
Noras, ſed neutri penſio tota fuit.

Et Cicero libro 1. Officiorum, Dicendũ eſt qualem hominis honorati & principis domum placeat eſſe, cuius finis eſt vſus. Et de Finibus 2. Hi non viderunt, vt ad curſum equum, ad arandum bouem, ad indagandum canem: ſic hominem ad duas res, vt ait Ariſtoteles, intelligendum & agendum eſſe natum, quaſi mortalem deum: contráque vt tardam aliquã & languidam pecudem ad paſtum, & procreandi voluptatem, hi hoc diuinum animal ortum eſſe voluerunt, quo nihil mihi videtur abſurdius.

7 Finis à Græcis conſentiente cum re ipſa nomine τέλος appellatur, à verbo τελέω, id eſt perficio, quòd rerum perfectio adeptione finis conſtet, vt domus perfecta eſt, cùm habitatur: & bellum perfectum, cùm parta eſt victoria. Ad finem autem reliquæ cauſæ referũtur, vt in rebus naturalibus finem tres cauſæ præcedũt, velut in homine materia, & efficiens, & forma priores

ſunt:tum finis ſequitur,ſcilicet vſus rationis. In rebus expertibus corporis duæ tantùm,efficiens & forma, vt ad valetudinem recuperandam efficientes cauſæ primę ſunt,tum forma ipſa ſequitur,poſtremò fine fruimur.

8 Forma Græcis μορφὴ dicitur vniuſcuiuſque rei ſpecies,& tanquam propria & naturalis nota. Formæ autem officia duo ſunt:vnum,vt rem informet,& ſic in natura tueatur,vt ea ſublata prorſus res ipſa immutetur: alterum, vt rem cuius eſt forma à reliquis rebus diſtinguat: ſuis enim quæque res formis diſtinctæ ſunt, quarum aliæ ſub ſenſus cadunt,aliæ ſolo animo & cogitatione comprehenduntur.Atque hæc generalis definitio non tantùm ad formam rerum naturaliũ & corporatarum,ſed etiam incorporearum,& qualitatum,& quantitatum omnium pertinet,in quibus omnibus formam aliquam & ſpeciem ineſſe dicimus,per quam ſingulæ ſunt id quod ſunt,& à reliquis diſtinguuntur.

9 In quibuſdam rebus aliquando forma melius intelligitur,quàm verbis poſsit exprimi: vt in ædificiis, hoſtii,feneſtræ,tecti,parietis:in quibuſdam vix, ac ne vix quidem intelligi aut exprimi poteſt: rerum ſiquidẽ naturalium formæ nobis ignotæ ſunt,& propriis vocabulis carent,quas ob id facultates occultas Phyſici appellauerunt.

10 Deſcriptio eſt χάος,quod ante omnia fuiſſe narrat Ouidius ex ſententia Heſiodi, & ex adiunctis circunſtantiis chaos ipſum declarat. Dictum autem eſt ἀπὸ τοῦ χαίνειν,id eſt, à dehiſcẽdo,quòd antequã mundus eſſet,materia quædam in profundum hiaret.

11 Materia enim ſemen quoddam erat, ex qua res omnes procreatæ ſunt.

12 Deus enim ideas,id eſt, perfectas formarum notitias,in ſe & in ſua ſapientia ab omni æternitate habet,vnde rerum ſenſibilium formas omnes procreauit. Homo autem in carcere corporis incluſus non modò aliarum rerum formas perfecta ſcientia & veritate non

comprehendit,ſed ſuam ipſius formam, id eſt animam rationalem vix,ac ne vix quidem agnoſcit:nam & quis & qualis ſit animus ,magna eſt inter Philoſophos diſſenſio.

EFFICIENS ABSOLVTA & adiuuans.

1 Efficiens eſt cauſa à qua res eſt:cuius diſtributio triplex notanda eſt,in abſolutam primùm & adiuuantem:abſoluta & perfecta 2 ſola & per ſe rem efficit. 3 Ignis caloris per ſe efficiens cauſa eſt : Sic Cato contra ſenectutis reprehenſores,Caret epulis, aiunt:extructíſque menſis , & frequentibus poculis: 4 Caret ergo,ait, etiam vinolentia & cruditate & inſomniis. 5 Sic apud Virgilium, Nyſus ſe ſolũ authorẽ factę cędis profitetur,

Meme,adſum,qui feci: in me conuertite ferrum *AEne. 9.*
O Rutuli:mea fraus omnis,nil iſte, nec auſus,
Nec potuit.

6 Adiuuans autem cauſa ſola non efficit, ſed aliam adiuuat,vel ab alia adiuuatur . In hac cauſa ſunt inſtrumenta , miniſtri. 7 ſic Velleius apud Ciceronem contra Platonem diſputat,Quæ molitio,quæ ferramenta, qui *1.de Natu. deorum.* vectes,quæ machinæ,qui miniſtri tanti muneris fuerunt? Vtrunque cauſarum genus & per ſe efficientiũ & adiuuantium Cicero pro Marcello cõiunxit,cùm Cæſaris bellicas laudes cũ multis cõmunicat,quòd à multis adiu

tus ſit:clementiæ gloriã totã ei tribuit, quia ſolus eius & author & effector ſit. Ait igitur,

» [8] Nam bellicas laudes ſolent quidam exte-
» nuare verbis, eáſque detrahere ducibus, cõ-
» municare cũ multis, ne propriæ ſint impe-
» ratorum. Et certè in armis, militum virtus,
» locorum opportunitas, ſociorũ auxilia, claſ-
» ſes, commeatus multum iuuant: maximam
» verò partem quaſi ſuo iure fortuna ſibi ven-
» dicat, & quicquid eſt proſperè geſtum, id
» penè omne ducit ſuum. [9] At verò huius glo
» riæ, Cæſar, quam es paulò antè adeptus, ſo-
» cium habes neminem: totum hoc quantun-
» cunque eſt, quod certè maximum eſt, totum
» eſt, inquam, tuũ: nihil tibi ex iſta laude cen-
» turio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil tur
» ma decerpit: quinetiam illa ipſa rerum hu-
» manarum [10] domina fortuna in iſtius ſe ſo-
» cietatem gloriæ non offert: tibi cedit, tuam
» eſſe totam ac propriam fatetur.

EFFICIENS, PROCREANS, & conſeruans.

[11] Altera eſt efficiẽtis cauſæ diſtributio in procreantem & conſeruantem. Prioris generis ſunt parentes, à quibus procreati & geniti ſumus. Dido apud Virgilium ait AEneam Veneris & Anchiſę filium non eſſe, ſed Cau-

caſi montis,& Hircanæ tigris: vt duritiam & perfidiam eius coarguat, 12

Nec tibi diua parẽs generis, nec Dardanus author *Æne. 4.*
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hircanæq; admorunt vbera tigres.

13 In eodem efficientium loco ſunt opifices operum ſuorum: vt Menalcas apud Virgilium ex authore laudat opus,

-pocula ponam *Eclog. 3.*
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis.

Contrà ſimiliter Damœtas,

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit. *Ibidem.*

14 Conſeruantes cauſæ ſunt quæ ſtatum factæ rei tuentur, vt leges, vt iudices, vt magiſtratus rerum publicarum. Qui locus à Cicerone tractatus eſt, cùm diſputat à legi- *Pro Cluēt.*
» bus diſcedendum non eſſe, Hoc enim, ait,
» vinculum eſt huius dignitatis, qua fruimur
» in Republica: hoc fundamentum libertatis,
» hic fons æquitatis: 15 mens, & animus, &
» conſilium, & ſentẽtia ciuitatatis poſita eſt in
» legibus. 16 Vt corpora noſtra ſine mente,
» ſic ciuitas ſine lege, ſuis partibus, vt ner-
» uis, ac ſanguine, & membris vti non poteſt:
» 17 legum miniſtri, magiſtratus: 18 legum
» interpretes, iudices: 19 legum denique id-
» circo omnes ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſ-
» ſimus. Vtrunque genus complexus eſt Oui-

dius,cùm otia dixit amoris cauſas eſſe,

De Remed.1.

Hæc vt ames faciunt,hæc quæ fecere tuentur:
Hæc ſunt iucundi cauſa cibúſque mali.
Otia ſi tollas,periere Cupidinis arcus:
Contemptæq́ iacent,& ſine luce faces.

20 Ex hoc cauſarum loco omnis eſt philoſophorum diſputatio,de conſeruando bene moratæ ciuitatis ſtatu. 21 Hinc nobilis pars medicinæ de ſanitate tuēda, & proſpera valetudine retinenda.

1 Tertium genus cauſæ generatim definitur,& tripertita diuiſione diuiditur,quòd eius vſus varius in diſſerendo multiplé xque ſit. Cauſa efficiens definitur à qua res eſt,non quòd nomen efficiētis cauſæ eiuſmodi præpoſitione ſemper exprimatur:nam & hominem ex homine natum & procreatum dicimus; & hominem ex animo & corpore conſtare, ſed quòd efficientibus cauſis præpoſitionem, à vel ab, ſępiſsime tribuamus.

2 Poſſunt aliæ cauſæ, vt materia, forma & finis, adhiberi:ſed tum efficiens abſoluta dicitur, quando ex efficiētibus cauſis ſola eſt,quæ rem propoſitam efficiat, vt ignis ſolus calefacit.Horatius cauſam mundanæ fœlicitatis abſolutam pecuniam dicit,

Libro 2. epiſtol.

Scilicet vxorem cum dote,fidémque,& amicos,
Et genus,& formam regina pecunia donat.
Et bene nummatum decorat ſuadela,venúſque.

Ouidius de Remedio Amoris,

Quæritur,Ægiſthus quare ſit factus adulter?
In promptu cauſa eſt,deſidioſus erat.

Martialis libro 5.

Eſſe quid hoc dicam,viuis quòd fama negatur?
Et ſua quòd rarus tempora lector amat?
Hi ſunt inuidiæ nimirum Regule, mores,

Præferat antiquos ſemper ut illa nouis.

3 Cicero in Topicis, Cùm in Aiacis nauem criſpiſulcans igneum fulmē iniectum eſt, inflammatur nauis.

4 Intemperantia enim conuiuiorum ſola per ſe efficit cruditatem, vinolentiam, & inſomnia.

5 Cùm Nyſus & Eurialus multis Rutulis cæſis & ſpoliatis, à Volſcente hoſte in ſylua premerētur, Nyſus elapſus vt Eurialum captum & deprehenſum ſenſit, rediit ad hoſtem, & ſe ſolum authorem factæ cædis confirmauit, ut pro amico moreretur.

6 Adiuuans autem cauſa ſic diuidi poteſt, vt quædam ſit princeps, quę ad efficiendum, principem locum tenet, vt in Repub. ſummus magiſtratus: eáq; plerunque pro abſoluta vſurpatur, vt cùm dicimus ab Alexādro victos eſſe Perſas: quædam verò ſit velut adminiſtra, vt in ciuitate Iudices, Cauſidici, Medici, Milites, & reliqui ciues ſtatum Reipub. adiuuant. Martialis autem libro decimo colligit cauſas beatæ vitæ,

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Iucundiſsime Martialis, hæc ſunt:
Res non parta labore, ſed relicta:
Non ingratus ager, focus perennis:
Lis nunquam, toga rara, mens quieta:
Vires ingenuæ, ſalubre corpus:
Prudens ſimplicitas, pares amici:
Conuictus facilis, ſine arte menſa:
Nox non ebria, ſed ſoluta curis:
Non triſtis torus, attamen pudicus:
Somnus qui faciat breues tenebras:
Quod ſis eſſe velis, nihílque malis:
Summum nec metuas diem, nec optes.

7 Velleius Epicureus irridet deum Platonis, à quo negat mundum eſſe conſtructum & ædificatum. Argumentum Vellei eſt ex remotione cauſarum adiuuantium ad eleuandam diuinam mūdi fabricam, Deus non adhibuit ferramenta, vectes, machinas, miniſtros: non

potuit igitur hunc mundum ædificare Deus. Quæ concluſio falſa & impia eſt, quia Deus non eguit his: ſolo enim nutu & verbo mundum condidit.

8 Exemplum hoc continet diſsimilitudinē rerum bellicarum, & clementiæ Cæſaris, cuius utraque pars cauſis efficiētibus illuſtratur. In priore, quæ propoſitio appellatur, ſunt ſex adiuuantes, quæ cum Cæſare victoriam compararunt. In poſteriore, quæ eſt ἀνταπόδοσις, reſtitutio Marcelli ſola prædicatur, quæ per ſe clementiæ laudem Cæſari attulit.

9 Ανταπόδοσις diſsimilitudinis ſequitur, quòd Cæſar ſolus ſit author & effector clementiæ, quæ illuſtratur ex remotione cauſarum adiuuantium.

10 Fortuna enim eſt earum rerum, quæ inopinatò eueniunt, bellorum autem caſus incerti ſunt & ancipites.

11 Ex his procreantibus & conſeruantibus cauſis quædam ſunt rei partes, quam efficiunt & tuentur, vt natura, ars, & exercitatio dialecticæ virtutis: quædā extrinſecus adhibentur, nec inſunt in re ipſa, ut architectus extra domum eſt, quam efficit & conſeruat. Cæterùm procreandi vocabulum non ſolùm pertinet ad animantes, ſed ad frutices, ad elemēta, ad omnes denique res, quæ ex ſe quouis modo aliquid efficiunt: ídque ipſum eſt progreſsionis, cùm res aliqua efficitur: ſicut conſeruare perfectionis, cùm res iam perfecta conſeruatur. Ciceronis in Piſonem ex hoc procreantium loco reprehenſio grauis eſt, O familiæ, non dicam Calphurniæ, ſed Caluentiæ: neque huius vrbis, ſed Placentini municipii: neque paterni generis, ſed Bracchatę cognationis dedecus. Et in epiſtola ad Octauium, Cuius auus fuerit argentarius, aſtipulator pater: vterque verò precarium fecerit quæſtum. Et pro Murena, Pater fuit equeſtri loco, auus nulla illuſtri laude celebratus: vnde Cicero concludit Seruium Sulpitiū non eſſe prole nobilem. Eiuſdem generis ſunt urbium conditores,

vt Romulus Romæ. Virgilius ſexto AEneidos,

Quin & auo comitem ſeſe Mauortius addet
Romulus, Aſſaraci quem ſanguinis Ilia mater
Educet: viden' vt geminæ ſtent vertice criſtæ?
Et pater ipſe ſuo ſuperûm iam ſignet honore?
En huius nate, auſpiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit olympo.

12 Cùm Dido AEneam, cui nupſerat, neque religione coniugalis fidei, neque precibus vllis mouere ac retinere poſſet, his probris eũ inſectatur ex cauſis procreantibus inter ſe diſsimiliter comparatis.

13 Sic Iupiter Olympius ex Phidia ſtatuario, ſic Alexandri imago ex Apelle, ſic comœdiæ Latinæ ex Terentio & Plauto, ſic ornata oratio ex Cicerone & Demoſthene, ſic quoduis opus excellens ex ingenio & nobilitate ſui authoris commendatur.

14 Eædem cauſæ conſeruãtes & procreantes eſſe poſſunt: & frequenter accidit, vt ab iiſdem cauſis res efficiatur & conſeruetur, vt à parentibus liberi, à magiſtratibus ciuitates: ideóque genera hæc cauſarũ cùm re ipſa ſæpe confuſa ſint, ratione & cogitatione diſtinguenda ſunt, quòd alia ſit procreandi, alia conſeruandi ratio: quanuis plerunque eadem procreatrix & conſeruatrix cauſa ſit eiuſdem rei, vt in Officiis Cicero docet gloriam in repub. comparari amore, gratia, fauore ciuium, & opinione virtutis, eandémque rebus iiſdem conſeruari.

15 Vt enim ratio in homine, ſic lex in ciuitate iubet quæ facienda ſunt, prohibétque contraria. qualis igitur eſt animus in homine, talis lex in ciuitate.

16 Similitudo ad illuſtrationem cauſarum rempublicam conſeruantium.

17 Horum enim intereſt non ſolùm legibus parere, ſed etiam leges iubere, & populo imperare.

18 Nam cùm iudicium ſemper aliqua lege conſtitutum ſit, iudex æquus non ſolùm legem in conſilium

aduocat, ſed ad eam interpretandã religionẽ, fidẽ, ęquitatem adhibet, vt ſecundum ſententiam legis iudicet.

19 Legibus parendum, vt liberi eſſe poſsimus: nam his ſublatis vis & oppreſsio dominetur in ciuitate, neceſſe eſt.

20 Philoſophi diſputant Rempub. conſeruari ciuium virtute, legibus, iudiciis, magiſtratibus, conſenſu populi, vectigalibus: de quibus diligenter & accuratè multa Plato, Ariſtoteles, Theophraſtus, & Phalereus ſcripſerunt.

21 Vt apud Hyppocratem lib. 6. epydimiῶn, Labor, cibus, potus, ſomnus, omnia mediocria. Et ibidem, Sanitatis ſtudium eſt non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores.

EFFICIENS SPONTE ET non ſponte.

1 Poſtrema efficientiũ diſtributio eſt, vt aliæ ſint conſilii participes, aliæ expertes. Ex illo efficientium genere eſt Ciceronis de ſe confeſsio, Suſcepto bello, Cæſar, geſto etiam magna ex parte, nulla vi coactus, iudicio meo ac voluntate ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumpta contra te.[2] Sic Phædria incontinentiam ſuam confitetur,

Pro Ligario.

In Eunucho.

-ô indignum facinus: nunc ego &
Illam ſceleſtam eſſe, & me miſerum ſentio:
Et tædet, & amore ardeo, 3 *& prudens, ſciens,*
Viuus, vidensq́; pereo, nec quid agam ſcio.

4 In cauſis autem, quæ minimè conſilio aliquid efficiunt, tum natura, tum neceſsitas, tum fortuna ponitur.

NATVRA.

Natura, vt cùm eæ res, quę conſilii, rationíſque ſint expertes, ad euentus tamen ſuos cohibeant in ſe efficientiam naturalem: vt venti mari incumbentes tempeſtatis naturales cauſæ ſunt: vnde ſunt illa Virgilii,

5 *Incubuere mari, totúmque à ſedibus imis* *Aenei. 1.*
vnà Eurúſque, Notúſque ruunt, creberq́; procellis
Africus, & vaſtos tollunt ad littora fluctus.

6 Ex hoc cauſarum genere tota naturalis philoſophia eſt de mundo, & eius partibus, de ventis, de grandine, de pluuia, de motu terræ, de animalium generatione, progreſſione, cæteríſque eiuſmodi rebus.

NECESSITAS.

7 Neceſsitas eſt, cùm vi aut humana, aut diuina, aut quauis denique externa cogitur & impellitur efficiens ad effectum. Humana neceſsitas eſt Tityri Virgiliani,

Quid facerem? neque ſeruitio me exire licebat. *Eclog. 1.*

Diuina eſt apud Ciceronem, quum diſputat Pompeianorum cauſam ſceleratã non
» eſſe. 8 At mihi quidem, ait, ſi proprium & *Pro Liga.*
» verum nomen noſtri mali quæratur, fa-
» talis quædam calamitas incidiſſe videtur,
» & improuidas hominum mentes occupa-
» uiſſe; vt nemo mirari debeat humana con-

„ ſilia, diuina neceſsitate eſſe ſuperata. 9 Sibylla hoc argumento Palinuri querelam reprehendit,

Aenei.6. *Vnde hæc, ô Palinure, tibi tam dira cupido?*
Tu ſtygias inhumatus aquas, amnemq́ue ſeuerum
Eumenidum aſpicies, ripámue iniuſſus abibis?
Deſine fata deûm fleti ſperare precando.

FORTVNA.

10 Fortuitæ cauſæ tribuitur quicquid expers conſilii, inopinato aliquo caſu contigerit. vt ſi multæ vnius & viginti literarũ formæ temerè aliquo proiectæ verſum aliquem efficiant Ennii: talis efficiẽtia literarum fortuita ſit. Quod exẽplum Cicero, Epicureos arguens, fortuita atomorum concurſione mundum efficientes, aſſumpſit, 11 Hoc qui exiſtimat, ait, fieri potuiſſe, non intelligo cur non idem putet, ſi innumerabiles vnius & viginti literarum formæ, vel aureæ, vel qualeſlibet, aliquò coniiciantur, poſſe ex iis in terram excuſsis annales Ennii, vt deinceps legi poſsint, effici: quod neſcio ánne in vno quidem verſu poſsit tantum valere fortuna. 12 Sic caſu, ait idem, Phæreo Iaſoni profuit hoſtis, qui gladio vomicã eius aperuit, quam ſanare medici non poterant. 13 In hoc genere cauſarum imprudentia connumerari ſolet. Ouidius de Triſtibus,

2. de Natura deorum.

3. de Natura deorum.

14 *Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?* *Libro 2*
Cur imprudenti cognita culpa mihi eſt?
Inſcius Acteon vidit ſine veſte Dianam:
Præda ſuis canibus non minus ille fuit.
Scilicet in ſuperis etiam fortuna luenda eſt,
Nec veniam, læſo numine, caſus habet.

15 Hinc ſumitur deprecatio, qualis eſt,
» Ignoſce pater, errauit, lapſus eſt, non puta- *Pro Liga.*
» uit, ſi vnquam poſthac. Et paulò pòſt, Erra-
» ui, temerè feci, pœnitet, ad clemẽtiam tuam
» confugio, delicti veniam peto, vt ignoſcas
» oro. 16 Fortunæ autẽ nomen ignoratio cauſarum confinxit: cùm enim aliquid præter conſilium, ſpémque contigerit, fortuna vulgò dicitur: nec inſcitè Iuuenalis,

17 *Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia: ſed te* *Saty. 10.*
Nos facimus fortuna deam, cælóque locamus.

Huius generis cauſarum conſilio & non conſilio agentium magnus vſus eſt. 18 Hoc enim præcipuè in æſtimatione laudis & vituperii, pœnæ & veniæ ſpectatur.

1 Expoſitis duabus efficientis cauſæ diuiſionibus, tertia & poſtrema reſtat in efficientem ſpontaneam & non ſpontaneam: Illa conſilii particeps eſt, & certa deliberatione vtitur ad agendum, vt deus, angelus, homo: hæc caret conſilio, vt res naturales inanimatæ, & ex animatis ſtirpes & beſtiæ.

2 Phædria adoleſcens excluſus à Thaide, incontinentiam ſuam arguit, quòd tametſi ſciat & intelligat ſe perire, voluntate tamen pereat.

3 Hoc prouerbii vice à Cicerone vſurpatur, vt in Epiſtolis, Vt in fabulis Amphiaraus: ſic ego prudens & ſciens ad peſtem ante oculos poſitam ſum profectus. Pro Marcello, Prudens & ſciens ad interitum ruebam. Pro Seſtio, Viuus, vt aiunt, vidénſque cum victu & veſtitu ſuo publicatus eſt. Pro Quintio, Huic acerbiſsimũ viuo videntíque funus ducitur.

4. Cauſæ expertes conſilii partim naturales ſunt, partim coactæ, partim fortuitæ.

5 AEolus oratione & precibus Iunonis adductus ventos ex antris emittit in mare ad vexãdas naues Troianorum: hęc igitur eſt ſubitę tempeſtatis deſcriptio ex ventis cauſis efficientibus, vbi ad incredibilem quandam tempeſtatem explicandam finxit poeta, quòd natura non ferebat, ventos contrarios ſimul flare: quod figmentum ex Homeri lib. 5. Odyſſeæ imitatus eſt Virg.

6 Phyſici in elementorum mutationibus cauſas efficientes conſiderant, calidum, frigidum, humidum, ſiccum: & pluuiæ, grandinis, cæterarúmque rerum, quæ gignũtur in aere, generationem partim ab exhalationibus, partim ab affectione aeris repetunt, & terræ motum ab incluſis exhalationibus: itémque diſputant animalia partim coitu, partim ſine coitu generari: & eorũ progreſsionẽ fieri partim alis, partim pedibus, partim coſtis, partim ventre, partim pinnulis. Nihil denique eſt in rerum natura, cuius cauſas efficientes & naturales non exquirant.

7 Cauſa coacta minima cauſa eſt, à qua ſi quid actum ſit, id potius cauſæ cogenti, quàm coactæ imputatur: vt ſi quis ab alio impulſus quenquam offendat, is non tam reprehenditur, quàm qui impulit. Cauſa autem coacta interdum poteſt certo conſilio agere, vt homo, ſed nõ tum cùm extrinſecus quaſi oblata impulſione cogitur ad efficiẽdum. In hoc genere interdum numerantur cauſæ, non quæ omnino violenta neceſsitate impelluntur, ſed quæ quaſi cogi & impelli videntur:

nam mercator ſe tempeſtate coactum eſſe dicit, vt merces abiiceret, & priuatus à tyrãno ſe cogi, vt parentem interficiat: attamen neque tempeſtas, neque tyrannus neceſsitatem faciendi adfert, quanuis vehementer vrgeat: ſed quia ſic vſus fert, talis cauſa appelletur neceſſaria & coacta, ex conditione, vt rhetores loquuntur, ſine qua ſalui aut liberi eſſe non poſſumus.

8 Excuſat cauſam Pompeianorum, quòd fatali neceſsitate ad bellum ciuile ſint impulſi. Hęc vis à Græcis dicitur εἱμαρμένη, id eſt fatalis neceſsitas, cùm res aliter fieri non poteſt, atque à Deo conſtitutum eſt, intra fatalem cõtinuationem ordinis ſempiterni. Sic Ouidius de mundi conflagratione libro 1. Metamorphoſeωn,

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptáque regia cæli Ardeat.

Et Cicero Philippica ſexta, Fuit fatalis, vt ita dicam, caſus, quem tulimus, quoquomodo ferendus fuit: nunc ſi quis erit, voluntarius: populum Romanum ſeruire fas non eſt, quem dii immortales omnibus gentibus imperare voluerunt.

9 Dixerat Palinurus,

Da dextram miſero, & tecum me tolle per vndas,
Sedibus vt ſaltem placidis in morte quieſcam.

Cui Sibylla reſpondet fieri non poſſe, vt Stygiam paludem tranſmittat, quia fata obſtant: itaque Palinurus manſionis ſuæ cauſa eſt, ſed fato coacta.

10 Eſt enim fortuita cauſa in his rebus, quæ præter conſilium & opinionem rarò contingunt. Cicero lib. 2. de Diuinatione, Quid, ait, aliud fors, quid fortuna, quid caſus, quid euentus, niſi cùm ſic aliquid euenit, vt vel non cadere atque euenire, vel aliter cadere & euenire potuerit?

11 Lucilius Balbus apud Ciceronem libro 3. de Natura deorum refellit Epicureos à minoribus cauſis, Caracteres literarũ temerè proiecti, vix ac ne vix vnquã annales Ennii efficiẽt. Nó igitur credibile eſt tam ex-

cellentem & admirabilem mundum temerario & fortuito atomorum concurſu factum eſſe. Sic Cicero aduerſus Carneadem diſſerit, qui diuinationem fortuitam eſſe dicebat, Quicquam poteſt eſſe caſu factum, quod in ſe habeat omnes numeros veritatis? quatuor tali iacti caſu venereum efficiunt, num etiam centum venereos, ſi quadringẽtos talos conieceris, futuros putas? Aſperſa temerè pigmenta in tabula, oris lineamenta effingere poſſunt, nõ etiam Veneris Coę pulchritudinem effingi poſſe aſperſione fortuita putas?

12 Phalereo vulnus ſalutaris curatio fuit, qui, vt Plinius libro ſeptimo author eſt, iam deploratus à medicis, vomicæ morbo, cùm mortem in acie quæreret, vulnerato pectore medicinam inuenit ex hoſte: hoſtis igitur curationis fortuita cauſa fuit: non enim ſanare inimicũ, ſed necare volebat. Cicero lib. 3. de Natura deorum, non Phalereum, ſed Phæreum Iaſonem nominat.

13 Poteſt quidem ea cauſa particeps eſſe conſilii: ſed cùm refertur ad euentus fortuitos, imprudentia dicitur, & fortuna: vt Iácere telum in feram volũtatis eſt & conſilii: ferire autem quem nolueris, fortunæ: & homo quidem vtriuſque euentus eſt author, ſed in altero conſilium duntaxat adhibuit. Hoc genere Terẽtius ſeſe excuſat in Eunucho,

Si peccatum id eſt, peccatum imprudentia eſt
Poetæ, non qui furtum facere voluerit.

14 Excuſat Ouidius culpam ſuam ob caſum, quòd aliquid fortuito viderit, quo Auguſtus Cæſar iratus eſt illi: cõmemorátque ſimilem caſum Acteonis, qui cùm in monte Gargaphiæ feras perſequens nudam in fonte Dianam aſpexiſſet, ſubitò à dea in ceruum cõuerſus, & à ſuis canibus dilaniatus eſt.

15 Cicero fingit per proſopopœiam hominem aliquem imprudentia lapſum, & idcirco veniam facti ſui deprecantem.

16 Cùm enim, ait Cicero in Topicis, nihil ſine cau-

ſa fiat, hoc ipſum eſt fortunæ, euẽtus obſcura cauſa, quæ latenter efficit: quam Academici interdum deum vocant: quòd multa improuiſa efficiat & inopinata nobis, propter obſcuritatẽ, ignorationémque cauſarum. Itaque cauſa latens & incerta earum rerum, quæ præter opinionem nobis accidunt, fortuna vocatur: quam non abs re poëtæ incõſtantem, volubilem, & incertam fingunt: vt Lucanus libro 2,

Siue nihil poſitum eſt, ſeu ſors incerta vagatur:
Fértque refértque vices, nec habent mortalia caſum:
Sit ſubitum quodcunque paras.

Et Ouidius libro 4. de Ponto,

Ludit in humanis diuina potentia rebus:
Et certam præſens vix habet hora fidem.

17 Si intelligimus rerum cauſas, videbimus omnia deorũ conſiliis & prudentia regi & gubernari: ſed quia rerũ cauſas frequenter ignoramus, ideo fortunæ locum tribuimus, deámque vocamus: hãc enim, vt ait Plinius, veteres deam eſſe dixerunt omnia gubernantem, quòd in tota hominum ratione ſola vtranque paginam facit, adeóque ſumus obnoxiæ ſortis, vt ſors ipſa pro deo ſit, quia deus probatur incertus.

18 Neque enim homines ex fortuitis rebus magnopere laudantur, ſed ex ſpontaneis & volũtariis cauſis, à quibus virtutes & vitia proficiſcuntur: & in iudiciis pœnam aut veniam magiſtratus reis ſtatuunt his cauſis conſideratis, vt ſi ſcelus ſponte commiſſum eſt, puniatur: ſin caſu & imprudentia, condonetur.

MATERIA.

1 Materia ſupereſt, ex qua res eſt: ſic ex materia cum forma res corporatas effici dicimus: vt homo conſtat ex corpore & anima, id eſt, materia & forma. Sic domus appellamus materiam, lapides, arenam, ligna,

cæmenta: hoc argumento regia ſolis apud Ouidium deſcribitur, quòd auro, quòd pyropo, quòd ebore, quòd argento ædificata eſſet,

2.Meta. *Regia ſolis erat ſublimibus alta columnis,*
Clara micante auro, flammasq́ imitante pyropo,
Cuius ebur nitidum, faſtigia ſumma tegebat.
Argenti bifores radiabant lumine valuæ.

2 In capiendis conſiliis de ædificiis, nauibus, oppidis, materiatíſque rebus omnibus, hæc cauſa locum neceſſarium habet, & in eiuſmodi rerum exquirenda natura materiæ neceſſaria eſt conſideratio. 3 Sed de ſingulis cauſis, & earum quatuor generibus ſatis. Præſtantiam, excellentiámque cauſarum finis ſibi vendicat: dein forma, tum efficiens, materia omnium poſtrema eſt. Nam ſi finis rei conſtiterit, cęteras eſſe cauſas eſt neceſſe: non contrá. ſi forma, & efficientem, & materiam: non contrá. ſi efficiēs, materiam: non contrá. ſic videlicet antecedentibus in conſequentes ſuum quodam modo ius eſt: tametſi in agendo contrà accidit. materia enim ſit prius in ædificando, quàm architectus opus vllum faciat: forma ſuccedit: tandem ædificio vtimur, & operis fine fruimur.

4 Hic Dialecticæ inuentionis primus fons eſt, vnde omnis humanæ ſciētiæ ſolida, con-

ſtánſque cognitio demonſtratióque promitur: tum enim verè propriéque ſcire iudicamur, cùm rei cauſas penitus cognoſcimus. Ideóque, vt ait poeta,

Fœlix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas. Georg. 2.

1 Materia in his rebus vera & expreſſa cernitur, quæ ſunt participes corporis: vt domus materia eſt calx, lapides, ligna, tegulæ. hoc argumento Propertius muros Babylonios indicat,

Perſarum ſtatuit Babylona Semiramis vrbem,
Vt ſolidum cocto cingeret aggere opus.

Et Virgilius Tartarum deſcribit,

Porta aduerſa, ingens, ſolidóque adamante columnæ:
Vis vt nulla virûm, non ipſi excindere ferro
Cælicolæ valeant: ſtat ferrea turris ad auras.

Sic artis cuiuſque materia eſt in ſuis præceptis: & res naturales & artificioſæ ex materia cum forma conſtituuntur. Interdum per metaphoram materia dicitur non quæ re vera eſt, ſed quæ materię vires & nomē obtinet, vt à Phyſicis intellectus patiens hoc nomine dicitur, cùm intellectus agens ſit vt forma. Aliquando etiam per Catachreſim materia ſignificat id quod ad agendum propoſitum eſt, quomodo Oratoris materia quæſtio eſt: quæ poſtrema ſignificatio ad ſubiectorum locum pertinet.

2 In ædificiis ligna, cæmenta, ſaxa, lapides, & ſimilia ex vtilitate quæruntur: & naues ſunt faciendæ, vt ait Vegetius, ex cupreſſo, aut pinu domeſtica, aut ex larice ſylueſtri, aut abiete, & ex æreis clauis potius quàm ferreis: & in ædificandis oppidis materia quæritur, cui nec tempeſtas, nec caries, nec vetuſtas, nec hoſtilis machina nocere poſsit: ſic in faciendis lectis, ſtatuis, menſis, ſcamnis, tapetis, veſtibus, cæteríſque rebus materia primùm ſolet conſiderari: nec verò tantùm ad

deliberationem,ſed etiam ad laudē adhibetur: ſic enim vaſa ex ære Corynthio aut Deliaco, & Iupiter olympius ex ebore, & gladius ex ferri qualitate, & res quædam ex lapidum pretio & honore laudantur. Hinc illud magnificum Scauri theatrum, cuius prima pars ex ebore, media ex vitro, ſummæ columnæ ex tabulis inauratis cōſtabant: & inter columnas ſignorum tria numero millia diſpoſita erant.

3 Expoſitis cauſarū generibus comparatio eorum inter ſe ſequitur duplex: prima in rebus cōſtitutis & abſolutis, in quibus ſi finis conſtiterit, reliquæ cauſæ præcedunt, quæ ad eum finem ſpectant: ſecunda eſt in rerum effectione & molitione, in qua primùm materia quęritur, deinde efficiens, tum forma accedit: poſtrema autem eſt finis adeptio.

4 Cauſarum fons maximus & vberrimus eſt, vnde omnis ſcientia rerum diuinarum & humanarū promanauit, à quibus ſi veritatem vlla in re optamus noſſe & percipere, haurire debemus: ſi bellum gerēdum eſt, ſi deliberandum de pace, ſi artes diligēter explicandæ ſunt, ſi quid denique iudicio & ratione æſtimādum vel explicādum, nobis cauſæ conſiderandæ & perſpiciendę ſunt. Cicero cùm de Mithrydatico bello diceret, cauſas eius diligenter omnes excuſsit, finem primùm, gloriam populi Romani, ſalutem ſociorum, vectigalia publica, tum facultates efficientium cauſarum primùm ex Mithrydate, quantum bellum ſit, quod coniungant duo potentiſsimi reges Mithrydates & Tygranes, renouēt agitatæ nationes: deinde ex Pompeio vires Romanas opponit, quòd in hoc imperatore ſit ſcientia rei militaris, virtus, authoritas, fœlicitas. Pro Milone finē Clodio necandi Milonis poſuit ſpem conſulatus, & impunitatis, & efficientes cauſas meditatæ cædis, quòd Clodius eſſet expeditus in equo, quòd ſtipatus barbaris ſeruis. Et pro Roſcio Amerino remouet omnes cauſas parricidii, vt ſuſpicionē quoque tanti facinoris remoueat:

denique nullam eruditam diſputationem reperies,quæ non exquiſitum illud ex cauſis docendi genus ſequatur:rectéque Perſius,cùm homines ad ſui ipſius cognitionem excitat,ſic ait,

Diſcitéque ô miſeri,& cauſas cognoſcite rerum,
Quid ſumus,aut quidnam victuri gignimur,ordo
Quis datus,aut metæ quàm mollis flexus & vndæ.

Quid Ariſtoteles de cauſis?

Nulla cauſæ definitio eſt in dialecticis Ariſtotelis libris:partitio in quatuor ſpecies ſecundo libro poſteriorum Analyticorum notatur,quæ abecedariis exemplis & vanis quęſtionibus de fieri & facto eſſe(ſic enim eius interpretes loquũtur)& de iis quæ circulo gignũtur:& an vnius rei plures ſint cauſæ:an vniuerſalis cauſa ſit vniuerſalis effectus: ſimilibúſque tenebris obſcuratur:nec porrò ſpecies cauſarũ via & ordine pręceptis perſpicuis declarantur: cæteris autem in libris non generaliter,ſicut ars dialectica poſtulat, nec vno in loco, ſed ſingulatim & ſparſim quædam de cauſis Ariſtoteles tradit,vt de fine,tertio topico:vbi conſiderationem finis,quæ tota generalis eſſe debuerat, ad probandam & refellendam quæſtionem moralem de rebus expetendis & fugiẽdis nimis anguſtè coarctauit. De forma nihil nominatim, excepto eo loco, qui eſt in Analyticis poſterioribus præcipit:ſed eam differentiã appellat in Topicis, quum tamen differentia non ſumatur ſimpliciter,ſed ſignificet potius compararionem,quæ aliâs dicitur diſsimilitudo.Efficientium nulla definitio, neque diuiſio legitur recta & legitima, ſed tantùm ſecundo, tertio,quarto, ſexto, ſeptimo Topicis generationum, corruptionum, effectiuorũ, corruptiuorum vocabulis quædam efficientium ſignificatio confunditur.De materia illud ſolum eſt, quod in poſterioribus Analyticis cap.ſecundo libri ſecundi in cauſarũ partitione dictum eſt.Quamobrẽ primum genus argumenti,quod in dia-

lectica inuentione primùm explicandum erat, quanto reliquorum argumentorum nobiliſsimum eſt, & illuſtriſsimum, tanto eſt ab Ariſtotele peſsimè & vitioſiſſimè tractatum, nulla adhibita cauſæ definitione, nulla partium ſubiectarum facili & perſpicua explicatione, nullis propoſitis exemplis congruentibus & idoneis, ſed doctrina partim diſsipata, & per dialecticum organum huc atque illuc diſiecta, partim multis quæſtionũ nugis referta, & ad materiam apodicticorum ſyllogiſmorum, ſcholaſticarúmque altercationum anguſtius, quàm par ſit, aſtricta, cùm vſus cauſarum omnibus rebus perſpiciẽdis & explicandis generaliter accommodari poſsit & debeat.

EFFECTA.

1 Effecta vocamus ea, quæ de cauſsis exiſtunt. Cùm enim propoſitæ rei cauſas omnes vidimus, tum poſtea quærimus, quid ab ea efficiatur. 2 Sic Horatius, cùm aliquot ebrietatis cauſas memoraſſet, effecta deſcribit,

Epiſt. 1. *Quid non ebrietas deſignat? operta recludit,*
Spes iubet eſſe ratas, in prælia trudit inermem:
Sollicitis animis onus eximit, ac docet artes.
Fœcundi calices quem non fecere diſertum?
Contracta quem non in paupertate ſolutum?

3 Multæ ſunt Ciceronis in Clodium, Piſonem, Catilinã, Gabinium, Vatinium, Antoniũ, pernicioſos Reipub. principes acerbę & vehemẽtes reprehenſiones ex eorum vita atque factis. Huc etiam dicta pertinẽt, Princeps Romanorum Pompeius ex bellicis fa-

ctis,Cicero ex 5 diſertis dictis à Martiale laudis gratia nominatur,

Illud laurigeros ageres cùm læta triumphos, *Libro 3.*

Hoc tibi Roma caput, cùm loquereris, erat.

Huc conſilia referẽda ſunt. 6 Parmenionem & Phylotam interfici iuſsit Alexander propter ſuſpicionem coniurationis,vt Curtius & Arrianus ſcribunt. 7 eadem cauſſa in Lentulum,Cethegum, cæteróſque Catilinæ populares deprehenſos Romanus Senatus animaduertit.8 Cauſſarũ porrò cum effectis, & effectorum viciſsim cum cauſsis cognatio magna eſt,vt cauſſæ 9 ex effectis, & effecta ex cauſsis exquirantur.

DE EFFECTIS.

1 Effecta & effectus, euenta & euentus eadem ſignificatione dicuntur, quæ de cauſis fiunt: & quanuis effectorum nomen propriè ad efficientes cauſas referatur,quæ ſua vi aliquid efficiunt,aliqua tamen ratione cum cæteris etiam cauſis comparatur:nam & finis alliciendo, & forma rei naturam conſtituendo, & materia patiendo etiam adhibentur ad effectum.Itaque effecta de omnibus cauſis exiſtere poſſunt. Nec verò tantùm in præteritis rebus effecta conſiderantur, ſed etiam in his,quas quis facit,aut facturus ſit,vt cũ diſputatur quid facturus fuerit Alexander magnus, ſi in Italiam veniſſet: tum enim effecta Alexandri non præterita, ſed futura memorantur.

2 Cùm Horatius aliquot ebrietatis cauſas narraſſet,vt curas omnes abiicere,cõuiuio ſplendido intereſſe,optima vina effuſè & largè potare, ebrietatis effecta

ſubiungit, quæ ſunt arcani ſignificatio, ſpes, audacia, gaudiũ, opinio doctrinæ, garrulitas. Sic Virgilius cùm in perſona AEneæ optimũ reipub. principem inſtituiſſet, conuerſus ad Romanos breuiter eius facta docet,

Tu regere imperio populos, Romane, memento:
Hæ tibi erunt artes, paciq́; imponere morem,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

3 Publius Clodius ſacra bonæ deæ polluit, Ciceronem Roma eiecit, domum eius incendit, cædem multorum ciuium in foro fecit, templum nympharum combuſsit. Lucius Piſo Conſul Ciceronem Clodio prodidit & vendidit, in Macedonia exercitum amiſit, ſocios vexauit, crudeliter, auarè, libidinoſè vixit. Catilina adòleſcens iuuentutem Romanam corrupit, in exitium patriæ cõiurauit. Gabinius conſul cum Piſone tribunitios Clodii furores adiuuit, in luſtris, popinis, ganeis verſatus eſt, in Syria nihil aliud fecit, niſi pactiones pecuniarũ cũ tyrãnis, deciſiones, direptiones, latrocinia, cędes: vexauit publicanos: Ptolemæũ contra leges in regnum reduxit. Vatinius quæſtor Puteolis à mercatoribus pecuniam extorſit, tribunuſplebis Hiſpaniam furtis expilauit, magicas artes coluit, augur auſpicia contempſit & diſſoluit. Antonius puer decoxit, adoleſcẽs libidinoſè vixit, quæſtor rapinis ſe impleuit, tribunuſplebis bellũ ciuile excitauit, magiſter equitũ pro tribunali vomuit, in Pompeii bona inuolauit, conſul nudus Cęſari diadema impoſuit, in villa Varronis debacchatus eſt, leges fixit pretio atque refixit.

4 Sunt enim dicta eorum à quibus dicuntur, facta, vt Clodius Fauonio quærẽti, qua ſpe fureret Milone viuo, reſpondit triduo illum, aut ad ſummum quatriduo periturum: & Cicero Piſonem ex eius dictis inſectatur, Mihi verò quæ dicere auſus es? egere, foris eſſe Gabinium, ſine prouincia ſtare non poſſe, ſibi quemque conſulere oportere. Præterea imperia & edicta magiſtratuum in hoc genere connumerãda ſunt: vt in Piſonem,

Edicere auſus es, vt ſenatus contrà quàm cēſuiſſet, ad veſtitum rediret. Si tamen dicta ex totius queſtionis affirmatione vel negatione ad eam cōfirmandam vel infirmandam ſumantur, teſtimonia ſunt & argumēta aſſumpta: vt ſi quis homines ad ſapientiam cohortetur, quòd Thales Mileſius dixerit, optimum viaticum ab adoleſcentia ad ſenectutem eſſe ſcientiam, huiuſmodi dictum Thaletis factum eſt, ſed quæſtionis & ſuaſionis argumentum aſſumptum, non inſitum.

5 Eodem modo laudes diſertiſsimorum hominum tractātur, vt Xenophontis, cuius ore muſas ferunt locutas: & Platonis, qui diuinitus ſcripſit: & Periclis, in cuius ore muſæ ſeſsitarunt: & Ariſtotelis, qui à Cicerone flumen aureum fundens dicitur.

6 Parmenionem Cleander prius iuſſu Alexandri percuſsit, deinde milites exanimē confoderunt: Curtius lib. 7. Philotas cū multis aliis, qui in ſuſpicionem coniurationis venerant, dato ſigno ſaxis eſt obrutus: Curtius lib. 6.

7 Conſilium coniurationis deſcribitur prima oratione Ciceronis in Catilinā: deprehenſio oratione tertia, ſupplicia coniuratorum in hiſtoria Salluſtii.

8 Cauſæ & effecta ſunt nomina mutuæ relationis, licet res ipſæ quæ ſunt cauſæ & effecta, interdum ſimpliciter & ſine ulla relatione ſpectari poſsint, vt deus & mundus: cauſæ autem ex effectis exquiruntur, vt cùm Phyſici ratiocinātur aliquid eſſe calidum, quòd calefaciat, frigidū quòd frigefaciat: & uiciſsim effecta ex cauſis, vt cùm idem diſputant, quòd quidpiam calidum ſit, calefacere, & quòd frigidum ſit, frigefacere.

6 Huius argumenti ab effectis exempla ſunt, cùm opifices ex operibus, & inuentores ex inuentis, & authores ex ſuis factis laudantur aut vituperantur: vt Cicero lib. 2. de Natura deorū, ex mundo, mundíque partibus opificem naturæ inquirit & commēdat: & Apelles ex tabulis pictis, Lyſippus ex ſtatuis laudem me-

ruit: & populus Romanus ex bellicis factis: ſic Liber pater, quòd docuit emere & vendere: Ceres, quòd arare, laudatur: & Aſsyrii, quòd primi literas inuenerunt: & Amphion, quòd muſicam: & Atlas, quòd aſtrologiam: & Anaximander, quòd ſphæram.

Quid Ariſtoteles de effectis?

Secundus hic dialecticæ inuentionis locus quaſi à dialectica eſſet alienus, ab Ariſtotele penè neglectus, ac pro nihilo habitus eſt: in categoriis quædam ſunt indicia, vbi agitur de actione: tametſi Ariſtotelei actionem non effectum, ſed progreſsionem ad effectum vocant: vt edificatio ſit actio architecti, ædificiũ effectum: nos verò commoditatem doctrinæ ſequuti, eodem nomine comprehẽdimus. Lib. 2. poſteriorũ Analyticorũ vanæ quæſtiones, quæ huc ſpectare videntur, exagitantur, de fieri & facto eſſe, de his quæ circulo gignuntur, & his ſimiles. Et in tertio Topico locus eſt ab actionibus & operibus ad diſputãdam moralem quæſtionem, neque legitimè, neque dialecticè tractatus. Dialectica enim ſingularia & propria vnius quæſtionis præcepta refugit, poſtulátque, vt poſt expoſitum genus cauſarum finitima, & cognata his effecta generatim doceantur, & vſus eorum perſpicuis exemplis oſtendatur: quod Ariſtoteles nec fecit, nec facere cogitauit.

SVBIECTA ET ADIVNCTA.

1 Subiecta & adiuncta, vt cauſſæ & effecta ad ſe mutuò referũtur. Subiecta ſunt quæ adiunctis ſubiiciuntur: Adiuncta quæ ſubiectis adiunguntur. Subiectorum nomen in ſcholis vſitatiſsimum non immutandum arbitror, cùm melius nullum habeamus. Adiũctorum nomen hîc proprium eſt, 2 & eo Ci-

cero in his præceptis vtitur. 3 Subiectorum atque adiunctorum tripertita diſtinctio, tãetſi rudis, nec ſatis polita: tamẽ dum melior inueniatur, non incommoda notari poteſt. Aliàs enim ſubiectis res ſic adiunctæ ſunt, vt in his inſint: aliàs vt circunſtent tantùm: aliàs vt neutrum, ſed vt circa hæc occupẽtur.

ADIVNCTA QVAE inſunt in re.

4 Primo genere animum dicimus ſubiectum eſſe virtutis, vitii, ſolertiæ, inertię: quia hæc in animo inſunt. Corpus, quantitatis, qualitatis, vt proceritatis, paruitatis, valetudinis roboris, pulchritudinis. 5 Cicero de *Pro come.*
„ Fannio Chærea, Nónne ipſum caput, & ſu-
„ percilia illa penitus abraſa olere malitiam, &
„ clamitare calliditatem videntur? Nónne ab
„ imis vnguibus vſque ad verticem ſummum,
„ ſi quam cõiecturam affert hominibus tacita
„ corporis figura, ex fraude, fallaciis, menda-
„ ciis cõſtare totus videtur? qui idcirco capite
„ & ſuperciliis ſemper eſt raſis, ne pilum vllũ
„ viri boni habere dicatur. Martialis de Zoilo,

6 *Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luſcus,* *Libro 12.*
Rem magnam præſtas Zoile, ſi bonus es.

7 Hoc modo terra hominum, mare pi-

ſcium, aer auium ſolum, id eſt, ſubiectū ab Ouidio dicitur,

Faſt. 1. *Omne ſolum forti patria eſt, vt piſcibus æquor,*
Et volucri vacuo quicquid in orbe patet.

8 Hoc modo Virgilius propria arborum quarundam ſubiecta in Bucolicis deſignat,

Eclog. 7. *Fraxinus in ſyluis pulcherrima, pinus in hortis,*
Populus in fluuiis, abies in montibus altis.

ADIVNCTA QVAE rem circunſtent.

9 Secundo genere adiunctorum Dido venatum proficiſcens apud Virgilium magnificè pingitur,

AEnei. 4. *It portis iubare exorto delecta iuuentus,*
Retia rara plagæ, lato venabula ferro,
Maſſylíque ruunt equites, & odora canum vis:
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum expectant, oſtróque inſignis & auro
Stat ſonipes, ac frena ferox ſpumantia mandit.
Tandem progreditur magna ſtipante caterua
Sydoniam picto chlamydem circundata limbo,
Cui pharetra ex humero, crines nodātur in aurū:
Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Veſtitus & comitatus equitum, peditum, canum, non erant in regina: ſed reginam ipſam circunſtabant. tota ferè Ciceronis ad Catil. 2. Catilinam deprimendum diſputatio ex Catili-

„ næ comitatu ſumitur, vnde ſunt illa,[10] Quis
„ tota Italia veneficus, quis gladiator, quis la-
„ tro, quis ſicarius, quis parricida, quis teſtamē
„ torum ſubiector, quis circūſcriptor, quis ga-
„ neo, quis nepos, quis adulter, quæ mulier
„ infamis, quis corruptor iuuētutis, quis cor-
„ ruptus, quis perditus inueniri poteſt, qui ſe
„ ſe cum Catilina non familiariſsimè vixiſſe fa
„ teatur?

ADIVNCTA QVAE circa occupantur.

[11] Tertio genere adiunctorum continentur ea quorum ſubiecta vulgò obiecta dicūtur: vt viſus colores, auditus ſoni, odores odoratus: his enim accidit vt videantur, audiantur, odoratu percipiantur. [12] Sic virtutibus & vitiis ſubiecta ſua ſunt, circa quę occupentur & exerceantur. Cicero in Verrem,
„ Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in
„ ſuppliciis, auaritia in rapinis, ſuperbia in cō
„ tumeliis efficere potuiſſet, eas omnes ſeſe
„ hoc vno prætore per triennium pertuliſſe.
Propertius,

Nauita de ventis, de tauris narrat arator, Libro.2.
Enumerat miles vulnera, paſtor oues.

Simile eſt illud Virgilii,

13 *Torua leæna lupū ſequitur, lupus ipſe capellā:* Eclog.2.

Florentem cytiſum ſequitur laſciua capella:
Te Corydon, ô Alexi. trahit ſua quęq; voluptas.

Huc referenda eſt grauis illa quæſtio de ſubiectis artium, & accuratè partienda.

14 Aliud enim ſubiectum ars, aliud artifex qui arte vtitur, ſibi proponit. Dialectica ars ſubiectum & propoſitum habet ad explicandum naturalem rationis vſum in magnis ingeniis, in certa conſuetudine, in perfectis exemplis impreſſum: Dialecticus verò, qui deſcriptam artem cognitámque exercet, quæſtionem omnem pro ſubiecto ſibi ſtatuit, in qua inuentionis & diſpoſitionis definita & explicata pręcepta exerceat. Medicina quoque cùm deſcribitur, proponit ſibi omnia, quæ ad tuendam & reſtituendam valetudinẽ pertinent: medicus exercẽdis medicinæ pręceptis, humanum corpus ad curandũ intuetur. 15 Denique cæteris in generibus, aliud eſt artis ſubiectum, quod præceptis explicetur: aliud artificis, quod ab eo tractetur & expediatur. 16 Quamobrem ſubiectorum & adiũctorum vſus hic in inuẽtione teneatur, qui etſi cauſis & effectis ad rem penitus intuendam minor eſt, ita frequentior & promptior ad quamuis quæſtionem exponẽdam. Hinc enim ſunt 17 ſigna, ſuſpiciones, coniecturæ: id eſt, innumerabilium rerum ſpecies

& notæ:hinc certæ nonnunquam rerum firmæque probationes ex propriis affectionibus, 18 vt in homine ridendi,in lupis vlulādi,in canibus latrandi. 19 In artibus perſæpe ex adiunctis qualitatibus magnæ confirmationes & graues ſumuntur:ſed non hæc vis eſt omnium adiunctorum. Plerunque enim leuia ſunt & infirma: 20 quāquam de adiunctis in vniuerſum hoc ſit verū,ſi ſingula non multū ponderis habeant:multa tamen ſi con iunxeris,plerunque magnam vim ſint habitura. Quemadmodum de eiuſmodi ſignis ait Ouidius, 21

Forſitā hæc aliquis(nā ſunt quoq;)parua vocabit: *De Remed.2.*
Sed quæ non proſunt ſingula,multa iuuant.

DE SVBIECTIS & adiunctis.

1 Subiectorum & adiunctorum doctrina vna & communis eſt,quòd ea relata ſunt,& mutuò ſeſe explicant:itaque coniunctè melius, quàm diſiunctè cognoſcuntur.

2 In Topicis Cicero adiuncta nominat, in Partitionibus & lib.2.de Oratore coniuncta,Quintilianus etiam circunſtantias:Martialis hoc argumento cuiuſmodi ſint ſua epigrammata,indicat:

Sunt bona,ſunt mala,ſunt mediocria quædam,
Quæ legis hîc,aliter non fit Auite liber.

Poſſet argumētum hoc appellari συμβεβηκὸς,id eſt accidens,niſi hoc nomen non ſolùm adiūcta, ſed effecta quoque apud Ariſtotelem ſignificaret, vt ex ſecundo

Topicorum perſpicuum eſt,niſi & adiuncti vocabulum multa etiam,quæ Ariſtoteli accidentia non ſunt, comprehenderet.

3 Hæc diuiſio ex obſeruatione naturalis vſus notata eſt,in quo tripertitam varietatem adiunctarum rerum videmus,vt aliæ inſint in re ipſa, quæ à philoſophis vulgò accidentia dicuntur:aliæ circunſtent tantùm, & od id appellentur circunſtantiæ:aliæ circa rem verſentur,vt Grammatica circa ſermonis emendationẽ:Rhetorica circa orationis ornatum:quomodo omnes artes earum rerum quas tractant,adiuncta dici poſſunt, quia res quæ artibus explicantur, artium ſubiecta vocantur.

4 Exempla ſunt de primo genere ſubiectorum & adiunctorum,

5 Cicero iocatur in Chæream hominem fraudulẽtum,ex habitu corporis,quòd ſit raſus.Tota phyſiognomorum ars & doctrina in hoc penè argumenti genere verſatur,quæ nihil aliud eſt , niſi diuinatio de affectibus animorũ ex adiunctis externis corporis,vt colore,habitu,figura,lineamentis,ex quibus probabilem aliquam cõiecturam de moribus hominum facimus : vt Zopyrus Socratem ſtupidũ dixit eſſe & bardum , quòd iugula cõcaua non haberet:addidit etiam mulieroſum, in quo Alcibiades cachinnum dicitur ſuſtuliſſe: & Maximus ob inſignem & portẽtoſam magnitudinem pro bardo eſt habitus.

6 Martialis ex quatuor adiunctis corporis coniicit Zoilum eſſe hominen malum.

7 Exempla ſunt etiam de primo genere,ſed ſuperioribus aliquantum diſsimilia: non enim ſic homines terræ,aut piſces aquis adiunguntur , vt colores & magnitudines corporibus:Euãder autem cùm patrem necauiſſet,ſuaſu matris patria Arcadia dimiſſa venit in Italiam, vbi Carmenta mater inter alia , etiam hoc argumento eum conſolatur.Sic Martialis trium Pompeiorum funera ex tribus ſubiectis locis in dicat,

Pompeios iuuenes Aſia atque Europa, ſed ipſum
Terra tegit Libyes, ſi tamen vlla tegit.
Quid mirum toto ſi ſpargitur orbe? iacere
Vno non poterat tanta ruina loco.

8 Sic plerunque res ex locis, in quibus naſcitur aut reperitur, indicari ſolet. Virgilius lib. 1. Georgicōn,

-nónne vides, vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi?
At Chalybes duri ferrum, viroſáque Pontus
Caſtorea, AEliadum palmas Eperus equarum.

Item lib. 2. Georg.

Fluminibus ſalices, craßiſque paludibus alni
Naſcuntur, ſteriles ſaxoſis montibus orni:
Littora myrtetis gratißima, denique apertos
Bacchus amat colles, Aquilonem & frigora taxi.

Hoc item argumento merces à mercatoribus laudātur, cùm eas laudant ex locis vbi reperiuntur, & vnde exportantur: vt vinum Falernum à monte Falerno, & Tarentinam lanam, à Tarentinis paſcuis.

9 Exempla ſunt de ſecundo genere adiunctorum, quæ rem ſubiectam circunſtant, & idcirco circunſtātiæ in ſcholis nominantur. Virgilius quarto AEneid. deſcribit Didonem reginam Carthaginenſium, quæ ſe mane parabat ad venationem, primùm ex circunſtāte comitatu iuuenū, retium, equitum, canum, ſonipedis: deinde ex circunſtante habitu & ornatu corporis chlamyde, pharetra, corymbo, fibulis. Eius generis exempla etiam ſunt: vt actione ſeptima in Verrem, Stetit ſoleatus prætor populi Romani, cum pallio purpureo, tunicáque talari muliercula nixus in litore. Secunda Philippica de Antonio, Vehebatur in eſſedo tribunus plebis, lictores laureati antecedebāt, inter quos aperta lectica mima portabatur: ſequebatur rheda cum lenonibus, comites nequiſsimi: reiecta mater amicam impuri filii tanquam nurum ſequebatur. Ouidius lib. 2. de Remedio amoris,

Phœbus adeſt, ſonuere lyræ, ſonuere pharetræ:
Signa deum agnoſco per ſua: Phœbus adeſt.

Lyra & pharetra non ſunt in Apolline, ſed circunſtant. Martialis in mendicum ex circunſtãte habitu iocatur,

Hunc quem ſæpe vides inter penetralia noſtræ
Pallados, & templi limina, Coſme, noui,
Cum baculo peráque ſemen, cui cana putríſque
Stat coma, & in pectus ſordida barba cadit:
Cærea quem nudi tegit vxor abolla grabati,
Cui dat latratos obuia turba cibos:
Eſſe putas Cynicum deceptus imagine falſa:
Non eſt hic Cynicus, Coſme. quid ergo? canis.

10 Veneficus, gladiator, latro, & reliqui Catilinæ comites non erant in Catilina, ſed eum circunſtabant.

11 Exempla ſunt de tertio genere adiunctorũ, quæ circa rem quampiam occupantur, quam philoſophi obiectam ſolent appellare: vt Phyſici in explicandis ſenſuum facultatibus, quid cuique obiectum ſit, docent: vt viſui color, auditui ſonus, odoratui odor, guſtui ſapor, tactui calor, frigus, humor, ſiccitas: & multæ aliæ qualitates. Ex hoc genere ſunt illa quoque poetica,

-Vocémque his auribus hauſi. &,
-Quin protinus omnia
Perlegerent oculis.

12 Virtutum & vitiorũ obiecta ab Ariſtotele tractantur cap. 7. lib. 2. de Moribus, vt fortitudo in periculis, temperantia in voluptatibus, liberalitas in pecuniis, magnitudo animi in honoribus, clementia in ira, veritas in dictis & factis, verecũdia in pueris, iuſtitia in iure cuique tribuendo verſetur: in iiſdémque cõtraria vitia, ſed infra aut ſupra modum occupẽtur. Simile eſt exemplum pro lege Manilia, Non enim ſolę ſunt illæ virtutes imperatoriæ, quæ vulgo exiſtimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiẽdo, conſilium in prouidendo. Interdum obiecta præcedunt, quibus adiuncta ſua redduntur: vt Pa-

radoxo primo, Quæro enim à vobis non vllá cogitationem habuiſſe videntur hi,qui rempublicã nobis tam præclarè fundatam reliquerunt,aut auri, aut argenti ad auaritiam:aut amœnitatum ad delectationem : aut ſupellectilis ad delicias:aut epularũ ad voluptates ? Ouidius lib.2. de Arte amandi,

Scit bene venator,ceruis vbi retia tendat:
Scit bene,qua frendens valle moretur aper:
Aucupibus noti frutices:qui ſuſtinet hamos,
Nouit qua multo piſce natentur aqua.

13 Corydon hortatur Alexin ad amorem,ab exemplis ſimilibus,quorum partes ſunt adiuncta quædam & ſubiecta.

14 Subiectum Dialecticæ eſt naturalis rationis exemplar,vt ars ipſa nihil aliud præceptis ſuis doceat,niſi quæ ſit vis humanæ mentis in diſſerẽdo,quæ eius actiones,& quæ ſpecies actionum.Hoc autem exemplar animaduertẽdum eſt(vt antea diximus) in multis excellentium hominum exemplis:& congruentibus præceptis exprimendum.Dialecticus verò nõ ſibi vim illam rationis explicãdam proponit, ſed dialectica arte vtitur ad diſputandum de qualibet re propoſita. Dialecticum hîc appello,non qui dialecticam artem interpretatur,ſed qui diſſerit & ratiocinatur.

15 Sic Arithmetica docet numeros, Arithmeticus vtitur numeris ad addendum,ſubducendum , multiplicandum,diuidendũ:& Geometria verſatur circa quantitatis continuæ explicationem,Geometra adiutus arte & præceptis lineas ducit,& figuras effingit.

16 Expoſitis ſubiectorum & adiunctorum generibus,generalis eorum vſus indicatur adhibita quadam collatione cum cauſis & effectis:nam cauſarum vſus eſt infrequentior,quia ſæpe nos latent: adiunctorum frequentior,quia magis nobis in promptu ſunt: itaque his frequenter apud doctos & indoctos vtimur.

17 Signa enim quæ Græcè σημεῖα dicuntur, rebus

propoſitis adiunguntur (vt ait Cicero) cuiuſmodi ſunt ea,quæ rem præcedunt,vt cædē apparatus,colloquium, locus:& quæ ſunt cum re ipſa,vt cum cæde pedum crepitus,ſtrepitus hominum:& quæ rem ſequuntur,vt cædem pallor,tremor,rubor, titubatio. Talibus adiunctis & indiciis venatores feras perſcrutantur,iudices de rerum factis ſuſpicantur, Aſtrologi de pluuia , tempeſtate,ſerenitate,& cæteris aeris affectionibus augurantur: vnde ſunt illa prognoſtica,

Vento rubet aurea Phœbe. &,

Cornix plena pluuiam vocat improba voce.

Et medici partem ſuæ artis σημειοτικὴν appellant , quæ de ſignis morborum ſanitatíſque diſputat.

18 In leone rugiendi , in tygre runcandi , in vrſo vncandi,in apro frendendi,in ceruo glocitandi,in tauro mugiendi,in equo hinniendi, in oue balandi, in capro mutiendi , in angue ſibilandi , in auibus ſimiliter propriæ quędam affectiones inſunt,vt in paro tinniendi,in turdo trutilandi,in ſturno piſitandi,in perdice cacabandi , in cygno dranſandi, in accipitre pipandi , in miluo lippiundi,in gallo cucuriendi, in pauone pupillandi,in hirundine trinſandi, in coruo crocitādi, in ciconia glotorandi,in paſſere pipiendi,in cucullo cuculandi,in cicada fritiniendi , in ape bombillandi, in veſpertilione ſtridendi.

19 Vt in philoſophia morali virtus ex adiunctis qualitatibus declaratur,quòd ſit laudabilis, quòd per ſe expetenda: ex contariíſque affectionibus vitium ſimiliter,quòd turpe,quòd per ſe fugiēdum:in Phyſicis primæ qualitates,vt calor,frigus,humor,ſiccitas ad explicandas rerum naturas plurimū valent . Et Arithmetici numerorum,Geometræ magnitudinum,Aſtrologi orbium & ſyderum affectiones qualitatéſque cōſiderant.

20 Firmiſsimis argumentorū ſingulis (inquit Fabius) inſtandum eſt:infirmiora congreganda ſunt,quæ ſi non proſunt,quia magna nō ſunt,valebūt,quia multa

ſunt quæ ad eiuſdem rei probationem ſpectant. Cicero in Partitionibus, Veriſimilia, ait, partim ſingula mouēt ſuo pondere, partim etiam ſi vidētur eſſe per ſe exigua, multum tamen cùm ſunt coaceruata, proderunt.

21 Idem eodem loco,

Tu tantùm numero pugna, præceptáque in vnum
Contrahe, de multis grandis aceruus erit.

Quid Ariſtoteles de ſubiectis & adiunctis?

Subiecti nomen ab Ariſto. in Categoriis, Analyticis, Topicis frequenter vſurpatur, ídque eſt τὸ ὑποκείμενον: ſed varia tamen ratione, & ſignificatione: aliâs enim inferiora ſuperioribus ſubiecta dicuntur, vt ſpecies generibus: vnde Ariſtoteli vſitatum eſt loquendi genus, de ſubiecto aliquo dici: aliâs accidentibus ſubſtantiæ ſubiectæ ſunt: hinc illud etiam Ariſtoteleum, in ſubiecto aliquo eſſe: quæ ſecunda ſignificatio, tametſi aliqua ex parte cum hoc inſtituto congruit, paulo tamē eſt anguſtior, quàm hic locus exigat: ſubiectum enim hoc loco non tantùm ſubſtantiam, ſed accidens interdum ſignificat, & vſum longè diuerſum habet: adiunctorum nomen nuſquam eſt in dialecticis Ariſtotelis libris, ſed à Cicerone vſurpatur. De adiunctis tamen apud Ariſtotelē quædā aliis appellationibus, vt accidentis & circunſtantiæ, in Topicis confuſè ſignificantur: quæ quidem diſsimilem habent rationem: Accidens enim nec adiuncta omnia complectitur, nec ea ſola, ſed etiam quædam effecta, vt ſedere, ſtare, currere: de circunſtantia, quæ adiuncti pars eſt, tertio Topico locus eſt. Secundum hanc nominū rationem videtur Ariſtoteles decem Categorias inſtituiſſe, vt ſubſtantia prima ſubiiceretur, reliquæ nouem adiungerentur: ſed tamen aliud eſt ſubiectum, aliud ſubſtātia, & aliud adiunctum, & aliud accidens, quemadmodum ex his, quæ diximus, intelligi poteſt: neque hæc Categoriarū partitio quic-

quam omnino habet dialecticum, quia neque inuentionis, neque diſpoſitionis generales regulas & leges tradit.

DISSENTANEA, AC primùm contraria.

1 Expoſitis è ſimplicium genere conſentaneis argumẽtis diſſentanea ſequuntur, quæ de eodem ſimul affirmari non poſſunt: 2 quorum genera duo ſunt, contraria & repugnantia. De contrariis primùm, & eorum partibus dicamus. 3 Contraria diſſentanea ſunt, quæ certa conditione diſsident vnum ab vno: 4 vt bonum à malo, aut ſummum à duobus, vt auaritia à liberalitate & effuſione. Pluribus cõtrarium nihil eſt, niſi fortè eiuſdem plura nomina, vt beſtiam, belluam, pecudem diuerſas res exiſtimemus. 5 Contrariorum ſpecies quatuor ſunt, aduerſa, priuantia, relata, contradicentia.

ADVERSA.

6 Aduerſa contraria ſunt, quæ plurimum ſub eadem communione naturæ differunt, quibúſque propoſitis occurrunt tanquam è regione contraria: vt homo & bellua. Nam & homo & bellua animalis natura cõtinentur, ſub qua nullæ duæ res aliæ magis diſsident. Cicero contra Epicureos, 7 Illud tamen arctè tenent, accuratéque defendunt,

Parad.1.

„ voluptatem eſſe ſummum bonum quæ qui-
„ dem mihi vox pecudum videtur eſſe, non ho
„ minum. Tu cùm tibi ſiue Deus, ſiue mater,
„ vt ita dicam, rerum omnium natura dederit
„ animum, quo nihil eſt præſtantius, neque di-
„ uinius: ſic te ipſe abiicies ac proſternes, vt
„ nihil inter te, atque inter quadrupedem in-
„ tereſſe putes? Pecudem & hominem aduerſa
Cicero oppoſuit: voluptas pecudis bonum
eſt: non igitur hominis. Seruitus & libertas
apud Tibullum ita contraria ſunt,

8 *Sic mihi ſeruitiũ video, dominamq́ paratam:* Libro 2.
Tu mihi libertas illa paterna vale. Virgil.

9 *Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.* ÆEne. 11.

„ Cicero 5 de finibus, Et quoniam hæc dedu-
„ cuntur de corpore, quid eſt cur non rectè
„ pulchritudo etiam ipſa propter ſe expeten-
„ da ducatur? nam ſi prauitatem, imminutio-
„ némque corporis propter ſe fugiendam pu-
„ tamus, cur non etiam, ac fortaſſe magis pro-
„ pter ſe, formæ dignitatem ſequimur? & ſi tur
„ pitudinem fugiamus in ſtatu & motu cor-
„ poris, quid eſt, cur pulchritudinem non ſe-
„ quamur?

PRIVANTIA.

10 Priuantia ſunt contraria, habitum, habi-
túſque priuationem ſignificantia: vt ſobrius
& ebrius. Martialis,

Lib. 3. *Ebrius es, nec enim faceres hæc ſobrius vnquam.*

Pauper & diues. Martialis,

Lib. 5. 12 *Semper eris pauper, ſi pauper es AEmiliane:*
Dantur opes nullis nunc, niſi diuitibus.

» 13 Talia ſunt mors & vita in Miloniana, Eius
» mortis ſedetis vltores, cuius vitam ſi putetis
» per vos reſtitui poſſe, nolitis.

RELATA.

14 Relata ſunt contraria, quæ ſe mutua naturalis affectionis relatione complectuntur: vt apud Ciceronem datum & acceptum, 15 Ex
» quo profectò intelligi debet, quanta in dato
» beneficio ſit laus, cùm in accepto tãta ſit glo
» ria. Sic pater, filius, dominus, ſeruus: quibus Martialis in Soſibianum luſit,

Pro Marc.

Libro 1. *Tum ſeruum ſis te genitum, blandéque fateris:*
Cùm dicis dominum Soſibiane, patrem.

Eſt autem animaduertendum in hoc relationis genere non tam contrarias, quàm amicas & coniũctas res eſſe: dum enim ſic dicimus, Pater eſt filii dominus, ergo filius eſt patris ſeruus, relatio eiuſmodi cõſenſionem habet, & tum tamen propria relatio eſt: cùm verò dicimus, Sum pater tuus, non igitur filius tuus, diſſenſio verè contraria eſt. Sic Tibullus,

16 *At vos exiguo pecori, fureſque, lupique* *Libro 1,*
Parcite, de magno eſt præda petenda grege.

Veruntamen quia nomen vno ſcriptorum omnium conſenſu ad contraria hæc ſignificanda poſitum eſt, & res nihilominus intelligitur, immutari non eſt neceſſe.

DE DISSENTANEIS.

1 E ſimplicibus argumentis quædam conſentanea ſunt, quæ conſentiunt cum parte quæſtionis, vt ſi probes virtutem eſſe expetendam, quia ſit honeſta, argumentum (honeſta) conſentit cum (virtute) parte antecedēte quæſtionis, quia Virtus & Honeſta de eadem re ſimul affirmari poſſunt, vt de iuſtitia, liberalitate, tēperantia, cæteríſque virtutum generibus: Quædam verò ſunt diſſentanea, quæ de eadem re ſingulari & indiuidua ſimul affirmari non poſſunt. Itaque argumētum diſſentaneum erit alteri parti quęſtionis, quando ſic inter ſe pugnabũt, vt de quo alterum affirmatur, de eo alterum negetur: vt ſi docere velis hunc AEthiopem non eſſe album, quòd ſit niger, argumentum (niger) diſſentaneum eſt albo, parti alteri quæſtionis: quoniam igitur niger, de hoc AEthiope affirmatur, de eodem albus, negetur oportet.

2 Diuiſio diſſentaneorum in duas ſpecies, de quibus ex ordine dicetur.

3 Definitio contrariorum eſt, quæ in Ariſtotelis Categoriis ἀντικείμενα, in Topicis Ciceronis contraria appellantur.

4 Exempla ſunt ad illuſtrādam contrariorum definitionem.

5 Partitio contrariorum hîc eadem eſt, quæ in Categoriis Ariſtotelis, & Topicis Ciceronis in quatuor genera.

6 Ariſtoteles ἐνάντια vocat, Cicero aduerſa, quæ ſub eodem genere comprehenſa plurimũ diſsident:nec intereſt an ſint in eodem proximo genere, vt homo & beſtia in animali,an in remoto & longè petito,vt liberalitas & auaritia in genere habitus. Atque etiam fieri poteſt,vt ſpecies aliæ aliis aliquantulo plus diſtent,vt in vitiis auaritia plus diſtat à liberalitate, quàm effuſio: & timor à fortitudine,quàm audacia. Aduerſorũ duo ſunt genera,vt ait Ariſtoteles,vnum eorum quæ aliquid intermedium habent,vt candor & nigror: nam inter eos fuſcus,cæruleus,glaucus,purpureus, & multi alii colores interiecti ſunt:alterum eorum quæ nihil habent intermediũ,vt ſanitas & morbus , ſi credamus Ariſtoteli. In illo genere ex affirmatione vnius negatio alterius concluditur,non contrà,vt albũ eſt,non igitur nigrum: in hoc ex affirmatione negatio , viciſsímque ex negatione affirmatio cõcluditur,vt ſanus eſt,nõ igitur æger. Itémque, æger eſt,non igitur ſanus. Porrò aduerſa dupliciter tractãtur,aliàs aperta negatione,vt ſapiens eſt, non igitur ſtultus:quo modo diſputat Martialis,

Morio dictus erat,viginti millibus emi:
Redde mihi nummos,Gargiliane,ſapit.

Et Cicero lib. 5. de Finibus , probat nullum animal ſe odiſſe, quia ſeipſum diligat, Siquidem , inquit , quomodo poteſt intelligi , aut cogitari eſſe aliud animal, quod ſe oderit?res enim concurrent contrariæ:nã cùm appetitus ille animi ad ſe aliquid trahere cœpit cõſultò,quod ſibi obſit,quia ſit ſibi inimicus,cùm id ſua cauſa faciat,& oderit ſimul & diliget: quod fieri nõ poteſt: neceſſe eſt quidé, ſi quis ſibi inimicus eſt, eum quæ bona ſunt,mala putare:bona contrà,quę mala:& quæ appetenda fugere,& quæ fugienda appetere:quæ ſine dubio vitæ ſunt euerſio.

Aliâs aduerſa aduerſis geminata reddũtur,vt,Virtus eſt per ſe expetenda,vitium igitur eſt per ſe fugiendum:in quo genere aduerſum tanquam pro negatione aduerſi

ponitur, quaſi diceretur, Vitium igitur nõ eſt expetendum. Cicero Tuſculana 5. Quid cùm fatentur ſatis magnam vim eſſe in vitiis ad miſeram vitam, nónne fatendum eſt eandem vim in virtute eſſe ad beatam vitam? Contraria enim contrariorum ſunt conſequentia.

7 Probat voluptatem ſummum & proprium bonum hominis non eſſe, quòd ſit pecudis bonum.

8 Tibullus queritur ſe non eſſe liberum: argumentum libero diſſentaneum eſt, quod ita concluditur, Seruus ſum, non igitur liber.

9 Drances hortatur Turnum ad faciẽdam pacem cum Troianis,

Quid miſeros toties in aperta pericula ciues
Proiicis? ô Latio caput horum & cauſa malorum.
Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes
Turne: ſimul pacis ſolum inuiolabile pignus:

Diſſentanea ſunt, Bellum eſt nobis pernicioſum, pax igitur expetenda.

10 Hæc ab Ariſtotele στερητικὰ, id eſt priuantia dicuntur à priuatione parte altera oppoſitionis, cui opponitur, ἕξις, id eſt habitus: differúntque ab aduerſis, quia non ſunt in eodem genere, vt nox & dies, tenebræ & lux. Priuatio enim quæ nihil eſt, in nullo genere ineſſe poteſt: & quanuis priuatio intelligatur per negationem habitus, vt cæcus non videns, aliud tamen eſt priuatio, aliud negatio. Hæc enim ſignificat quicquid non eſt in re affirmata, illa tantùm quod in re non ineſt, ſed natura ineſſe poteſt. Itaque negatio latius patet, quàm priuatio: ſolum enim animal ſenſibile poteſt dici cæcum, at non ſolum animal eſt non vidẽs, ſed domus, veſtis, lectus, aurum, argentum, & alia infinita.

11 Martialis iocatur in Cerdonem in ludis faciendis res ſuas ſtultè conſumentem: argumentum eſt à priuantibus: Sobrius iſtos ludos non faceres: ebrius igitur facis: ebrius enim ſignificat habitum quendam: & ſobrius habitus eius priuationem, quaſi ſine ebrio.

12 Pauper & diues priuantia ſunt,quia pauper eſt, qui non habet diuitias,diues,qui habet. Vnde iocus eſt Martialis,Soli diuites diteſcũt:non igitur pauperes. Sic Ouidius primo Faſtorum,

In pretio pretium nunc eſt,dat cenſus honores,
Cenſus amicitias:pauper vbique iacet.

Honorantur ſoli diuites:non igitur pauperes.

13 Mors eſt priuatio vitæ in ea re, quæ vitæ capax ſit:vita eſt habitus quidã viuentis.Si poſſetis vitam Clodio reſtituere, noletis: non debetis igitur mortem eius vlciſci.

14 Hæc ab Ariſtotele in Categoriis τὰ πρός τι dicuntur,à Cicerone in Topicis,quę cum alio conferuntur, aliâs etiam relata,contraria quę ſe mutua relatione complectuntur: atque hæc poſterior pars definitioni additur,non ad ſignificandam diſſenſionem relatorum inter ſe,ſed ad monſtrandam eorum differentiam à reliquis contrariis, quæ non habent eiuſmodi vim relationis: quæ quidem interdum genitiuis caſibus exprimitur,vt duplum ſimpli duplum, dominus ſerui dominus,pater filii pater:interdum etiam aliis caſibus,vt maius minore maius: quinetiam in verbis ineſt quædam relatio. Cicero in Oratore perfecto, Nõ igitur periculum eſt, ne quis putet in magna arte & honeſta turpe eſſe docere alios id,quod ipſis fuerit honeſtiſsimum diſcere:docere & diſcere, verba ſunt inter ſe mutua relatione affecta.

15 Hoc exemplum non eſt de relatis diſſentaneis, ſed conſentaneis: & argumentum à minori ad maius: Laudatur qui beneficiũ accepit,quãto magis qui dedit?

16 Magnum & paruum relata ſunt,& ex affirmatione vnius negatio alterius concluditur: De magno grege lupis prædandum eſt,non igitur de paruo.

CONTRADICENTIA, ac primùm in verbo.

1 Contradicentia ſunt contraria, quorum alterum ait, alterum negat idem: 2 ídque in verbo, aut in enuntiatione. verba enim ſola ſæpe affirmantur & negantur: vt honeſtum non honeſtum, bonum non bonum, artificioſum minimè artificioſum: quibus verbis ita negatis alio quodam modo ſæpe vtũtur, quàm per contradictionem: vt apud Ciceronem, 3 Et quidem honeſtis ſimilia ſunt quædam non honeſta, & bonis non bona, & artificioſis minimè artificioſa. Pugna autem hæc etſi non eſt enuntiationis, in enuntiatione tamen ſola poteſt intelligi: ſicut metaphora, quanuis in verbo ſingulari eſt, extra complexum orationis tamen non intelligitur: opponantur igitur 4 illa in enuntiatione, quò facilius contradictio cernatur, *In Lucul.*

Voluptas eſt honeſta,
Voluptas eſt non honeſta.
Virtus eſt bona,
Virtus eſt non bona.
Dialectica eſt artificioſa,
Dialectica eſt minimè artificioſa.

CONTRADICTIO in enuntiatione, ac primùm ſimplici generali.

5 Contradictio in enuntiatione, id eſt, oratione verum falſúmve ſignificãte 6 (quam Cicero etiam enuntiatum, enuntiationem, pronuntiatum, pronuntiationem, effatum, Græco verbo ἀξίωμα vocat) ex enuntiationis adiunctis partitionem accipit, 7 vt alia ſimplex ſit, alia multiplex. Simplex, quæ conſtat ex enũtiatis ſimplicibus, vnáque ſententia comprehenſis: eáque communis aut propria. Communis, quæ conſtat ex communibus enuntiatis, & ad res multas pertinentibus, 8 quæ rurſus generalis aut ſpecialis eſt. Cõtradictio igitur vniuerſa ſeu generalis eſt, cùm pars vtraque eſt 9 vniuerſa: vt,

Epiſt. 1. *Nullus in orbe locus Baiis prælucet amœnis,*

ait Horatius:

Omnis in orbe locus Baiis prælucet amœnis,

contradicat alius. Catullus in carmine nuptiali diſputat vtranque partem contradictionis huius,

Nulla puella maritanda eſt:

Omnis puella maritanda eſt.

Et vniuerſæ contradictiones includuntur quarto & ſexto verſu: item decimoquinto

& decimoſeptimo. Sic autem eſt,

10 *Vt flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis*
Ignotus pecori, nullo contuſus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber:
Multi illum pueri, multæ optauere puellæ:
Idem cum tenui carptus defloruit vngui,
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ.
11 *Sic virgo dũ innupta manet, dũ chara ſuis eſt,*
Cùm caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec chara puellis.
Hymen ô hymenæe, hymen ades ô hymenæe.
12 *Vt vidua in nudo vitis quæ naſcitur aruo,*
Nũquam ſe extollit, nũquam mitem educat vuã,
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
Iamiam contingit ſummum radice flagellum:
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere iuuenci.
At ſi fortè eadem eſt vlmo coniuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere iuuenci.

CONTRADICTIO ſpecialis.

12 Specialis cõtradictio cõſtat ex altera parte generali, ex altera ſpeciali. Quales Catonis & Ciceronis, illius Stoica, huius Academica ſententiæ ſunt in defenſione Murenæ. Dia-
» logiſmus eſt his verbis, Nihil ignoueris: imò
» aliquid, non omnia. Nihil gratiæ cauſa fece-
» ris: imò ne reſiſtito gratiæ, cùm officium &

„ fides poſtulabit. Miſericordia commotus ne „ ſis, etiam in diſſoluēda ſeueritate: ſed tamen „ eſt aliqua laus humanitatis. In ſententia per- „ maneto: Enimuero, niſi ſententia alia vicerit „ melior. Hæc diſtincta facilius intelligentur iſto modo,

Nihil ignoſcendum eſt:
Aliquid ignoſcendum eſt.
Nihil gratiæ cauſa faciendum eſt:
Aliquid gratiæ cauſa faciendum eſt.
Nihil eſt miſericordiæ tribuendum:
Aliquid eſt miſericordiæ tribuendum.
In ſententia ſemper eſt permanendum:
In ſententia non ſemper eſt permanendum.

Dicat aliquis,

Omnia poſſumus omnes:

Tum Virgilius,

Eclog.8. *Non omnia poſſumus omnes.*

CONTRADICTIO propria.

Propria contradictio, cuius pars vtraque 14 proprium enuntiatum eſt. Martialis,

Lib.1. *Bella es, nouimus, & puella: verum eſt:*
Et diues, quis enim poteſt negare?
Sed dum te nimium Fabulla laudas,
Nec diues, neque bella, nec puella es.

Exige contradictionem ſic,

Fabulla bella eſt,
Fabulla bella non eſt.
Fabulla puella eſt,
Fabulla puella non eſt.
Fabulla diues eſt,
Fabulla diues non eſt.

CONTRADICTIO multiplex.

15 Contradictio multiplex, quæ conſtat ex multiplicibus enuntiatis, & multas ſententias aliqua coniunctione ſociatas complexis. 16 Quo in genere cõtradicendi modus vnus eſt: vt ſi quod affirmatum cõiunctim fuerit, idem coniunctim negetur, 17 vt in enuntiato copulato, cuius ſententiæ vinculis illis &, que, atque, & ſimilibus coniunguntur: vt Virgilius,

Et vitula tu dignus, & hic, *Eclog. 3.*
Non & vitula tu dignus, & hic.

18 In diſiuncto, cuius partes tametſi verbo coniunguntur, vt diſsidentes tamen diſiunguntur: vt Cicero,

„ *Omnis enuntiatio vera eſt, aut falſa:* *De Fato.*
„ *Non omnis enuntiatio vera eſt, aut falſa.*

19 In connexo, cuius partes conditione ſuſpenduntur: vt ſi dicat aliquis,

-Si miſerum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam, mẽdacemq́; improba finget?

Aenei.2. Tum dicat Virgilius,

-Non ſi miſerum fortuna Sinonem
Finxit, vanū etiam, mendacemq́ improba finget.

20 Item in eo genere enuntiati, cuius partes relatione quadam coniunguntur: vt,

Eclog.5. *Tale tuum carmen nobis diuine poeta,*
Quale ſopor feſſis in gramine:
Non tale tuum carmen nobis diuine poeta,
Quale ſopor feſſis in gramine.

21 Quare non eſt in multiplici enuntiato, quemadmodum in ſimplici varia contradicendi ratio, ſed vniuſmodi & ſui perpetuò ſimilis, ſi negatio toti enuntiationi præponatur, 22 atque hac ratione vinculum pronuntiationis & affirmetur & negetur.

1 Hæc in Categoriis καταφατικὰ & ἀποφατικὰ nominantur: à Cicerone in Topicis aientia & negantia: quorū alterum ait, alterū negat idem nō genere aut ſpecie, ſed numero: vt cùm dixeris, Omnis homo eſt animal, ſi quis contradicat, nullus homo eſt animal, de ſingulis id negabit, de quibus iiſdem numero fuerat generaliter affirmatum: eadem autem genere & ſpecie poſſunt affirmari & negari, vt nulla tamen ſit contradictio: vt, Omnis equus hinnit, nullus homo hinnit: homo & equus ſunt eadem genere, quia in eodem genere continentur: ex quorū affirmatione & negatione nulla ſit contradictio: quia vtraque enuntiatio vera eſt. Itémque, Socrates eſt Athenienſis, Cicero nō eſt Atheniēſis, attributum, *Athenienſis*, de Socrate & Cicerone iiſdem ſpecie affirmatur & negatur, & nulla tamen ſit contradictio. Quare neceſſe eſt idem numero affirmatione

& negatione ſubiectum eſſe,vt cõtradictio fieri poſsit.

2 Diuiſio contradicentium in duo genera: aliâs enim ſimplicia ſimplicibus contradicunt, aliâs enuntiata enuntiatis.

3 Exemplum hoc non eſt contradictionis, ſed ſimilitudinis: quia res inter ſe tanquam ſimiles comparantur.

4 Negata vocabula dicuntur ab Ariſtotele nomina aut verba infinita in libro de interpretatione: & enuntiationes infinitæ, quæ ex his conſtant: quarum vſus vt contradictionem efficiant, non valde frequens eſt,incidere tamen poteſt.

5 Contradictio enuntiatorum diuiditur in ſimplicem & coniunctam ex enuntiatorum ſubiectorum ratione. Argumentum autem contradictionis in enuntiatione videtur aſſumptum eſſe,non inſitum, & ex tota quæſtione,nõ ex eius parte aliqua ſumi: verùm ſecus eſt:nam in contradictione non id agitur, vt tota enuntiatio partibus ſingulis cum tota diſsideat enuntiatione,ſed vt eidem ſubiecto contradicentium enuntiationum altera aliquid attribuat,altera remoueat idem: ſumitur igitur ex attributo quæſtionis, id eſt verbo, & eo quod verbum ſequitur:vt,

Socrates eſt philoſophus:
Socrates non eſt philoſophus.

In vtraque ſubiectum idem eſt,*Socrates*,ſed attributum, *eſt philoſophus,non eſt philoſophus*, diſſentaneũ eſt: ſic in reliquis contradicentibus ſimplicibus eſt intelligendum.In vniuerſa autem contradictione:vt,

Omnis homo eſt animal,
Nullus homo eſt animal:

Tametſi ſubiectum negari videtur, non negatur tamen: nam cùm dicitur,

Nullus homo eſt animal,

idem eſt,ac ſi diceretur, Homo omnino nõ eſt animal.

6 Cicero de Fato, Nec ſi omne enuntiatum aut

verum aut falſum eſt, ſequitur idcirco cauſas eſſe immutabiles. Ibidem, Explicãda eſt vis ratióque enuntiationum, quæ Græci ἀξιώματα appellãt. Tuſculana prima, Omne enuntiatum (ſic enim mihi in præſentia occurrit, vt appellarẽ ἀξίωμα, pòſt vtar alio, ſi inuenero melius) id ergo eſt pronuntiatum, quod eſt aut verum aut falſum. De Fato, Quod cùm ita ſit, quid eſt, quòd nõ omnis pronũtiatio aut vera, aut falſa ſit? in Lucullo, Fundamentum Dialecticæ eſt, quicquid enuntietur (id autem appellatur ἀξίωμα, quod eſt quaſi effatum) aut verum eſſe, aut falſum. Ariſtoteles libro primo de interpretatione ἀπόφανσιν, id eſt enuntiationem eadem ſignificatione nominat.

7 Diuiſio contradictionis in enuntiatis ſimplicibus ex Ariſtotelis lib. de interpretatione ſumpta eſt, vbi docet tum communia communibus, tum propria propriis opponi: vt,

Omnis homo eſt iuſtus:
Nullus homo eſt iuſtus,

Contradictio communis eſt: item,

Callias eſt iuſtus:
Callias non eſt iuſtus,

Contradictio propria.

8 Diuiſio contradictionis cõmunis in generalem & ſpecialẽ ex Ariſtotelis libro de interpretatione item ſumpta eſt: cui ſcholaſtici quidam duas ſpecies adiecerunt, ſubcontrariam ex vtraque parte ſpeciali: vt,

Aliquis homo eſt iuſtus:
Aliquis homo non eſt iuſtus.

Et ſubalternam, cùm affirmatio generalis affirmationi ſpeciali, vel negatio generalis negationi ſpeciali obiicitur: vt,

Omnis homo eſt iuſtus:
Aliquis homo eſt iuſtus. Vel,
Nullus homo eſt iuſtus:
Aliquis homo non eſt iuſtus.

ſed in vtroque genere nulla oppoſitio eſt, præſertim quum accidere poſsit, vt affirmatio & negatio veræ ſimul eſſe poſsint: atqui affirmando & negando vera dicunt, ſibi inuicem contradicere quî poſſunt? Atque hæ duæ ſpecies à ſcholaſticis hominibus (vt opinor) additæ ſunt magis ad efficiẽdum aliquod quadratum, vt oppoſitas enuntiationes quadrata forma & ſpecie depingerent, quàm quòd ita eſſe iudicarent.

9 Enuntiatio vniuerſa ſiue generalis his nominibus ſignificatur, omnis, quilibet, totus, vniuerſus, ſolus, quiſque, vnuſquiſque, quiſquis, multus, nullus, nemo & ſimilibus: quibus non expreſsis nihilominus tamẽ ſententia interdũ generaliter & vniuerſè concipienda eſt, vt cùm audis virtutem expetendam eſſe, perinde eſt ac ſi audires, omnem virtutem expetẽdam eſſe. Quomodo præcepta in artibus intelliguntur, quæ catholica & generalia ſunt, licet in his particulæ vniuerſales plerunque non ſint expreſſæ: vt,

Dialectica eſt virtus diſſerendi,

tantum valet, atque hoc,

Omnis dialectica eſt virtus diſſerendi.

10 Catullus diſputat primùm negationem contradictionis (quòd Nulla puella maritanda ſit) ſimilitudine florũ: protaſis ſimilitudinis illuſtratur diſsimilibus: Flos intactus amatur, tactus & pollutus negligitur.

11 Redditio ſimilitudinis, Vt flos decerptus & attritus: ſic virgo cùm amiſit florem virginitatis, contemnitur.

12 Catullus diſputat affirmationem contradictionis (quòd omnis puella maritanda ſit) ſimilitudine vitis. Vt enim hæc ſola & vidua contemnitur, vt iners & inutilis, vlmis autem maritata diligitur: ſic virgo ſine viro ſpreta iacet, iuncta viro gratior & vtilior eſt.

13 Specialis contradictio nomen habet ab altera parte ſpeciali: cuius duo ſunt modi. Primus ex affirmatione vniuerſa & negatione ſpeciali: vt,

Omnia peccata ſunt paria, vt aiunt Stoici:

Non omnia peccata ſunt paria, vt aiunt Academici.

Secundus ex negatione vniuerſa & affirmatione ſpeciali: vt,

Sapiens nihil opinatur, inquiunt Stoici:

Sapiens aliquid opinatur, aiunt Academici.

In quo genere idem ſumptum ſpecialiter ſibi generaliter oppoſito idcirco facit contradictionem, quia ex his quæ genere continentur, aliquid idem numero negatur, quod illic affirmatum erat, vel contrá.

14 Proprium enuntiatum eſt, cùm aliquid enuntiatur affirmatè vel negatè de re aliqua ſingulari & propria: vt,

Alexander fuit ſummus imperator.

Proprium igitur enuntiatum dicitur ex ſubiecto proprio, quod grammatici vocant nomẽ propriæ qualitatis: in quo genere affirmatio & negatio eiuſdem de eodem maxima contradictio eſt, quia neceſſe eſt alteram partem eſſe veram, alteram falſam, nec vtraque ſimul vera aut falſa eſſe poteſt. Scaurus ſenex, vt ait Plinius, cùm à Vario Tribuno plebis argueretur, ſocios & Latiũ ad arma coegiſſe, ad populum ait, Varius Sucronenſis AEmilium Scaurum ait ſocios ad arma coegiſſe: Scaurus negat: vtri tandem credendum putatis? preſsius hæc contradictio ſignificatur,

Scaurus coegit ſocios ad arma:

Scaurus non coegit ſocios ad arma.

Ouidius libro ſecundo de Arte amandi,

Iuppiter ex alto periuria ridet amantum:
Et iubet AEolios irrita ferre notos.

Propertius libro tertio,

Non ſemper placidus periuros ridet amantes
Iuppiter, & ſurda negligit aure preces.

15 Contradictionem ſimplicẽ ſequitur multiplex, quę nomen habet ab enuntiatis multiplicibus affirmatione & negatione eiuſdem de eodem differẽtibus: cu-

ius Ariſtoteles non meminit in libro de interpretatione: ſed Theophraſtus & Eudemus poſt Ariſtotelē aliquid de ea præceperunt.

16 Regula generalis eſt de contradictione multiplici, quæ declaratur inductione per ſpecies enuntiatorum multiplicium, vt copulati, diſiuncti, connexi, relati: in quibus ad contradicendum ſatis eſt, ſi quod coniunctim affirmatū fuit, idem coniunctim negetur: quod quemadmodum fieri debeat, paulò pòſt dicemus.

17 Primum inductionis exemplum eſt de copulatis enuntiatis, quæ tum vera cenſentur, cùm partes ſunt veræ: vt,

Et deus eſt, & homo viuit.

Falſa autem iudicātur, cùm partes omnes falſæ ſunt, aut aliqua earum: vt,

Et deus eſt, & piſces loquuntur.

18 Secūdum exemplum inductionis eſt de diſiunctis enuntiatis contradicētibus: diſiunctum autem verum dicitur eſſe, cùm partes eius neceſſariā repugnantiam includunt, vt pars vna vera ſit, nec plus vna vera poſsit eſſe: vt,

Aut dies eſt, aut nox eſt.

ſecus autem falſum diſiunctum erit, & inconſequens. Itaque omnis diſiunctio vera etiam neceſſariò vera eſt, tāetſi in partibus ſeparatim nulla ſit neceſsitas: vt, Neceſſe eſt Ciceronē virum eſſe bonū, aut non, diſiunctio neceſſaria eſt: tamē Cicero vir bonus eſt, enūtiatio non eſt neceſſaria: nec itē, Cicero non eſt bonus, neceſſaria eſt enūtiatio. Itaque diſiunctionis neceſsitas nō ex partiū neceſsitate, ſed ex vi neceſſariæ diſſenſionis & diſiunctionis pendet: quę res malè intellecta veteres philoſophos Chryſippum, Diodorū, Epicurum decepit: vt quoniam hoc verè diceretur, Neceſſe eſt eſſe, aut non eſſe, putarēt in alterutra parte nō ſolùm veritatem, ſed etiam neceſsitatem eſſe: ſicut ex Fato Ciceronis intelligi poteſt: in quem etiam errorem Cicero ipſe incidit.

19 Tertium exemplum eſt de connexis enuntiatis contradicentibus. Connexum autem verum appellatur, cùm antecedente poſito, neceſſariò aliud conſequitur: nec intereſt an partes eius veræ ſint, an falſæ: poteſt enim ex falſis verum eſſe connexum: vt,

Si homo equus eſſet, homo hinniret.

Itémque ex veris falſum: vt,

Si homo viuit, cælum eſt ſeorſum.

Itaque cõnexio vera iudicatur ex neceſſaria conſequutione partium, non ex earum veritate: hoc enim verbum (Si) non indicat partes eſſe veras, quæ iungantur, ſed ſententiam ſequentem eſſe antecedẽti aliqua conditione cõnexam. Itaque vt in diſiunctione, ſic in connexione dicendum eſt neceſsitatem, vt diſiunctionis, ita connexionis non ex rerum, & connexarum, & diſiunctarum neceſsitate, ſed ex ipſa diſiunctione & connexione pendere.

20 Quartum exemplum eſt de relatis cõtradicentibus, in quibus vincula ſunt, talis, qualis, tantus, quantus, tandiu, quandiu, is, qui, & ſimilia. Aliquãdo de vinculis alterum deeſt, quod tamen facilè intelligitur: vt,

-Careat ſucceſsibus opto

Quiſquis ab euentu facta notanda putat.

21 Inductio exemplorum concluditur cum repetitione ſuperioris regulæ, quæ quidem ad extremũ declaratur à diſsimilibus. Non quemadmodum in ſimplicibus enuntiatis varii ſunt cõtradicendi modi, qui non ſolùm ex affirmatione & negatione, ſed etiã ex ſignificatione propria & communi, & ex quantitate generali & ſpeciali diſtinguuntur: ſic in enũtiatis multiplicibus tãta varietas inueniri poteſt: ſed in his habetur ſola ratio affirmationis & negationis. Itaque vnicus eſt contradicendi modus, & omnium enuntiatorum multiplicium communis, vt quod coniunctim affirmatum eſt, coniunctim negetur.

22 Non ſatis eſt (vt Boetius deceptus exiſtimauit)

partem enuntiati multiplicis conſequentem negari,vt totum enuntiatũ dicatur eſſe negatum:ſed oportet toti enuntiato negationem præponi,vt vinculum quod ſententias ipſas copulat,negatione aliqua afficiatur,quod in eiuſmodi enuntiatis tantam vim obtinet, quantam verbũ in ſimplicibus.Itaque vt verbo affirmato vel negato ſimplex enuntiatum affirmans aut negãs dicimus, ſic vinculo affirmato aut negato multiplex enuntiatum affirmans aut negans eſſe putandum eſt: & vt illic verbum eſt tanquam anima,ita hic vinculum copulationis, aut diſiunctionis,aut cõnexionis,aut relationis eſt principalis forma,& cauſa enuntiati multiplicis.

CONTRADICTIONIS vſus & natura.

1 Tanta verò contradictionis firmitas eſt, vt ne Deo quidem conceſſum ſit, vtranque partem veram ſimul efficere:[2] tametſi in rerum inconſtantium & mutabilium (quæ ſic euenire & non euenire poſſunt) vniuerſa contradictione alterum fieri poteſt: vt eius pars neutra,alterum certè nõ poteſt,vt plus vna vera ſit,

Nulla fides regni ſociis,omníſque poteſtas
Impatiens conſortis erit: *Libro. 1.*

ait Lucanus.

Summa fides regni ſociis, & nulla poteſtas
Impatiens conſortis erit:

dicat alius.

Vtraque pars contradictionis huius falſa

eſt, 3 quo in genere mutabilium rerum nulla cōtradictionis ſpecies, ſeu ſimplex, ſeu multiplex fuerit, quicquam futurum partitè, diſtinctè, definitè verum falſúmve denuntiat.

4 *Idus Martiæ Cæſari periculoſæ erunt,* ait Spurina.

Idus Martiæ Cæſari periculoſæ non erunt, ait Cæſar.

Contradictio hæc neceſſariò vera fuit, ſed tū vtra eius pars vera eſſet, definiri certò non potuit: euentus approbauit. Itaque cùm hoc modo contradicitur:

Poſthumus cras viuet,
Poſthumus cras non viuet,

tametſi hoc ex contradictione diſiunctum, pronuntiatum, neceſſarium eſt, neutra tamē eius pars definiri poteſt, vt certò confirmetur hæc vera, illa falſa: rectéque vnus è ſeptē ſapientibus Pittacus, percōtantibus quid eſſet obſcurum, Futurorum euentus, inquit. Et Martialis in Priſcum idem feſtiuè,

Sæpe rogare ſoles, qualis ſim Priſce futurus,
Lib. 2. *Si fiam locuples, ſimq́ repente potens.*
Quenquam poſſe putas mores narrare futuros?
Dic mihi, ſi fias tu leo, qualis eris?

Itaque ſi quis de craſtina Poſtumi vita me roget, iubebo perendie ad me redire, vt

certum aliquid & exploratum reſpondeam, ſecus ad 5 Apollinem ſciſcitatum oracula di mittam:[6] ſed de contradictione ſatis. Cuius vſus in omni ferè diſputatione propter argumenti firmitatem tantam, ſi contentio & altercatio ſit, primum ſibi ferè locum vendicat. Intentio eſt aliquid eſſe: depulſio eſt id non eſſe. Nec fortius ex omnibus argumentis, nec vehementius vllum eſt, quo magis, ſi non doceri atque inſtitui, certè teneri conſtringíque poſsint aduerſarii, quàm ſi ad con tradictionis confeſsionem cogantur. Sic Ci *Tuſc.1.* cero Atticum cogit fateri mortuos miſeros non eſſe, quia nulli eſſent: quod ille omnino negabat, cùm affirmaret mortuos nullos eſſe, ideóque eſſe miſeros, quia nulli eſſent,
,, Iam mallem, ait Cicero, Cerberum metue-
,, res, quàm iſta tam inconſideratè diceres. At-
,, ticus, Quid tãdem? Marcus, Quem eſſe ne-
,, gas, eundem eſſe dicis. Vbi eſt acumẽ tuum?
,, Cùm enim miſerum eſſe dicis, tum qui non
,, ſit, eſſe dicis. Tum poſt longam diſputatio-
,, nem Atticus ait, Age, iam concedo non eſſe
,, miſeros, qui mortui ſunt: quoniã extorſiſti,
,, vt faterer, qui omnino non eſſent, eos ne mi-
,, ſeros quidem eſſe. ſic Terentianus Phædria Dori Eunuchi dictum eleuat, quòd affirmaſſet prius quæ pòſt inficiaretur,

In Eunu. *Modò ait, modò negat:*

inquit.

» Sic pro Milone Cicero ſeruorũ quæſtio-
» nem eludit, Age verò, quæ erat, aut qualis
» quæſtio? Heus vbi Ruſcio? vbi Caſca? Clo-
» dius inſidias fecit Miloni? fecit: certa crux.
» Nullas fecit, ſperata libertas. 7 Vanum ſcilicet mendacémque credi volumus, qui res tam incredibiles, támque diſsidentes inter ſe atque abhorrentes loquatur. Quapropter, expoſitis quatuor contrariorum generibus, aduerſis, priuantibus, relatis, contradicentibus, repugnantia quæ reſtant è diſſentaneis, expedienda ſunt.

1 Expoſitis generibus cõtradictionis ſimplicis & multiplicis regula catholica ponitur, quòd cõtradictionis ambæ partes ſimul veræ eſſe non poſsint: quam regulam dialectici appellant principium principiorum: nec exquiſitis rationibus confirmari putant oportere, ſed idipſum tanquam certum & indubitatũ ſumunt: nec enim fieri poteſt, vt præclarè docet Ariſtoteles in Metaphyſicis, vt idem in eodem ſimul inſit, & non inſit.

2 In contradictione vniuerſa, ſi res ſint mutabiles, affirmatio & negatio falſæ ſimul eſſe poſſunt: vt,

Nulla fides regni ſociis.

hæc negatio exemplo Caſtoris & Pollucis refellitur, qui concordiſsimè regnarunt: &

Summa fides regni ſociis,

affirmatio exemplo Romuli conuincitur, qui Remum fratrem, vt ſolus regnaret, interfecit. Si verò in contradictione vniuerſa res enuntientur firmę & conſtantes,

partes contradictionis nunquã ſimul falſæ reperiũtur: neque tamen id accidit vi contradictionis, ſed natura rerum, quæ enuntiatis ſubiectæ ſunt: vt,

Omnis iuſtitia eſt laudabilis:

Nulla iuſtitia eſt laudabilis.

Affirmatio vera eſt, quia attributum *Laudabilis*, conſtans eſt, nec à iuſtitia unquam ſeparari poteſt: negatio autem falſa propter eam cauſam, quam diximus.

3 Partes contradictionis in materia probabili, quę futurum aliquid eſſe & non eſſe ſignificant, nunquam poſſunt eſſe ſimul veræ: quia idipſum prorſus abhorret à natura contradictionis: ſed tamen vtra harum vera, & falſa ſit, homines plerunque neſciũt, ſed ſolus deus definitè & diſtinctè nouit: vt,

Fabius cras reperiet theſaurum:

Fabius cras non reperiet theſaurum.

Vtra pars vera ſit, vel falſa, ab homine certa ſcientia non comprehenditur, ſed à deo, qui pręſcius eſt futurorũ. Hac incerta futuri tẽporis ſignificatione & prædictione Cicero iocatur in epiſtolis ad Varronem lib. 9. Περὶ δυνάτων me ſcito κατὰ Διόδωρον κρίνειν. quapropter ſi venturus es, ſcito neceſſe eſſe te venire: ſin autem non es, τῶν ἀδυνάτων eſt te venire.

4 Cùm Cæſar eſſet à Spurina aruſpice monitus, vt Idus Martias caueret, cùm illæ adeſſent irriſit: verũ Spurina veniſſe quidem Idus dixit, ſed nondum præteriſſe, vt ait Suetonius.

5 Apollo deus præerat auguriis, & per vates futuros euentus prædicebat, vnde Græci ſoliti erant Apollinem de exitu bellorũ, aliorúmque rerũ interrogare.

6 Hactenus explicata eſt ars contradictionis: reſtat admonitio de vſu & firmitate eius argumenti, quod in cõtentionibus & altercationibus primas partes obtinet: quia ad reſiſtendum & conuincendum plurimum valet: & ſuperiora quidem argumenta cõſentanea plus habent luminis ad docendum, Contradicentia verò, ſi-

cut reliqua diſſentanea, plus habent roboris & firmitatis ad impellendum. In contentionibus autem contradictio aliquando ſimplex eſt & aperta: vt, Feciſti, non feci: aliquando figurata & vrbana, vt cùm ab alio diſſentimus, honoris gratia præfamur, Pace tua dixerim: aut ſimile quidpiam. Superioris generis in laudatione verſatur diſſenſio, vt Ciceronis in Catone ſuo, & Cæſaris in Anticatonibus, cùm alter tribueret laudem Catoni, alter detraheret: & in deliberatione, vt cùm quiſpiam dicit aliquid fieri poſſe, & vtile eſſe: alius contrà, nec vtile eſſe, nec fieri poſſe: & in cauſis iudicialibus, cũ accuſator perſonã arguit facti, defenſor plerunque non eſſe factum defendit: vt,

Roſcius occidit patrem:
Roſcius patrem non occidit.
Cluentius dedit venenum Oppianico:
Cluentius non dedit venenum Oppianico.
Muræna commiſit ambitum:
Muræna non commiſit ambitum.
Sylla fuit particeps coniurationis:
Sylla non fuit particeps coniurationis.
Archias eſt ciuis Romanus:
Archias non eſt ciuis Romanus.

7 Hoc contradictionis argumento leuitatem hominum perſæpe coarguimus, qui modò hoc, modò contrarium dicunt, aut faciunt, aut ſentiunt: vt Horatius de diuite ait,

Quo teneam vultus mutantem Prothea nodo?

In Eunuc. Et Terẽtius Gnatonis vanitatem exprimit hoc modo,

Quicquid dicunt, laudo: id rurſum ſi negant, laudo id quoque.
Negat quis? nego: ait? aio.

In Arte amandi. Et Ouidius amantem, quo nihil eſt inconſtantius, ſic inſtruit,

Arguet, arguito: quicquid probat illa, probato:
Quod dicit, dicas: quod negat illa, neges.

Et Martialis in Gallam ſic iocatur,

Vult, non vult dare Galla mihi, nec dicere poſſum
Quod vult, & non vult, quid ſibi Galla velit.

Videntur autem poetę & philoſophi interdum cõtradictionem dicere, quę tamen contradictio non eſt, quia partes diuerſum habent intellectum: vt,

Omnia habeo, neque quicquam habeo:
Nihil cùm eſt, nihil deſit tamen.

Terentianus Gnato videtur contradicentia loqui, neque tamen loquitur, quia verbũ, *Habeo*, aliud in affirmatione, aliud in negatione ſignificat. *In Eunuc.*

REPVGNANTIA.

1 Repugnantia itaque diſſentanea ſunt, quæ nulla certa lege, nullóque certo numero diſsident: vt homo, & arbor, & lapis, & huiuſmodi innumerabilia: quorũ plura idem eſſe nõ poſsint, ſed nulla tamen certa conditione repugnãt. Non enim homo arbori magis repugnat, quàm lapidi: nec facilius eſt idem eſſe & hominem & lapidem, quàm hominem & arborem. Martialis,

2 *Quòd clamas ſemper, quòd agentibus obſtrepis Hely:* *Libro. 1.*
Non facis hoc gratis, accipis vt taceas.

„ Cicero ad Atticum, 3 Nihil enim tam σόλοικον ἢ τυραννοκτόνους in cælo eſſe, tyrãni *Lib. 14.*
„ facta defendi. Ex repugnantibus AEneas Venerem deam eſſe concludit, Spartanæ virginis habitum ſimulantem,

Æneid.1. 4 *O quàm te memorem virgo: nanque haud tibi vultus*
Mortalis, nec vox hominem ſonat, ô dea certe.

Virgo hæc non eſt mortali vultu, nec humana voce: dea eſt igitur: repugnantia ſunt.

5 Vſus diſſentaneorum eſt frequētiſsimus in omni quæſtione, ſi cauſæ, facta, ſubiecta, adiuncta deſunt: quibus probari poſsit quod intenditur, proximum eſt, vt diſſentanea tollantur. Demonſtrare ſolem nequeo, vt concludam diem eſſe: tenebras noctis nullas eſſe confirmabo, vt diem eſſe deinde conſequatur. In cæteris antecedentibus argumentis plus eſt lucis ad docendum, hîc plus roboris frequenter eſt ad impellendum commouēdúmque. Et qui iuſta legitimáque ratione doceri non potuit, aliquando contrarii aliena atque abſurda conſecutione mouebitur. Sic enim interdum corrupta deprauatáque ſunt ingenia, vt magis agitata pulſatáque, quàm monita & docta credant.

1 Tranſitus eſt à contrariis ad doctrinā repugnātium, quæ à Cicerone interdum vſurpantur etiam pro cōtrariis: ſed hoc loco doctrinæ gratia diſtinguuntur, vt ea repugnantia ſint, quæ inter ſe diſsident nulla certa lege, vt vnum ab vno, aut ſummum à duobus, ſicut de contrariis eſt dictum: poſſunt enim vni & eidem rei infinitæ penè res eſſe repugnantes: vt homini cælum, aer, ignis, aqua, terra, metalla, ſtirpes, & cætera: vnum

autem vni aut ſummum duobus dūtaxat contrariū eſt.

2 Iocus in importunum & malum cauſidicum à repugnantibus: Accipis vt taceas: Non facis hoc igitur gratis.

3 Pugnantia ſunt, tyrānicidas laudare, & tyrāni facta defendere, quia de eodem verè dici non poſſunt.

4 Fingit Virgilius Venerem ſub habitu venatricis cum AEnea loquutam, quam AEneas ipſe nō venatricem, ſed deam eſſe arguit à repugnantibus,

Nec facies, nec vox humana eſt:
Dea igitur es.

5 Expoſita arte diſſentaneorū in duobus generibus contrariis & repugnantibus, generalis admonitio de eorum virtute & vſu traditur, vt cùm antecedētibus argumentis ad explicandam propoſitam rem caremus, quæramus diſſentanea: vt ſi non poſſem probare ex cauſis aut factis, aut ſubiectis, aut adiunctis hominem aliquem de loco in locum non moueri, diſſentaneum ſumerem hoc modo: Hic homo quieſcit: Nō igitur de loco in locum mouetur.

6 Hic locus indicat differentiam diſſentaneorum à conſentaneis argumentis, quòd hæc magis perſpicua ſint ad docendum, illa magis robuſta ad commouendum & excitandum. Itaque diſſentaneis frequenter utimur in obiurgationibus, vt cùm crimen aliquod adoleſcentibus obiicimus, vt redeant ad virtutem: & in defenſionibus, vt Scipio à Petiliis accuſatus, in ſenatu non reſpondit criminibus, ſed de contrariis virtutibus ſuis diſputauit. Martialis hoc argumenti genere premit Candidum falſum & inanem amicum,

Ex opibus tantis veteri fidóque ſodali
Das nihil, & dicis Candide, κοινὰ φίλων.

Denique quoties refractarium aliquem & pertinacem volumus impellere, argumentum ex diſſentaneis quærimus non ſecus atque arietem ad quatiendum

hoſtilem murum. Ex quo genere ſunt cõuincentes probationes, quæ vulgò dicuntur ad impoſsibile.

Quid Ariſtoteles de diſſentaneis?

Ariſtoteles genera diſſentaneorum nec in vniuerſum definit, nec bipertito diſtribuit in contraria & repugnantia. De contrariis eadem ferè præcipit, quæ hîc traduntur: in Categoriis enim ἀντικείμενα appellat, quæ Latinè dicimus contraria: diuidítque in quatuor ſpecies, aduerſorum, relatorum priuantium, contradicentium: ſed more ſuo totam hanc doctrinam communitatibus & differentiis obſcurat: quæ definiendo diuidendóque & exempla ſubiiciendo breuiter & facilè tradi poterat. In omni autem arte ſuperuacuum eſt differentias & communitates exquirere, pluribúſque verbis cumulare, cùm ſua definitione, diuiſione, & exemplis ad explicandum idoneis vnaquæque res propriè comprehendatur, & ab aliis rebus ſeparetur. Definitio ſiquidem non tantùm rem propoſitam explanat, ſed à cæteris quoque rebus diſtinguit. Atque hæc communiter de quatuor generibus contrariorum: ſeparatim autem de ſingulis multa variis locis ſparſa ſunt, præſertimque in Topicis libris, in quibus hic locus frequenter iteratur: vt in primo, vbi de propoſitione & de inſtrumentis agitur: atque in ſequentibus libris ad quatuor genera problematum confirmanda aut refellenda nominatim accommodantur, ineptè quidẽ & inutiliter: vitioſum enim eſt in arte dialectica generale præceptum ad ſpecialem quæſtionem adſtringere. De contradictione in verbo Categoriæ Ariſtotelis loquuntur aliquid in capite De oppoſitis, & libro de interpretatione, cùm diſſerit de nomine & verbo & enuntiato infinitis. De contradictione in enuntiatis ſimplicibus eodem libro multa præcipiũtur, ſed optimis præceptis multa inutilia & vana præcepta,

quæ nihil ad artem cõtradictionis ſpectant, immiſcentur. De contradictione in enuntiatis multiplicibus nullum apud Ariſtotelem verbũ eſt: poſt quem Theophraſtus & Eudemus circa hanc partem aliquid mouerunt. De ſecundo diſſentaneorum genere, quæ repugnantia vocantur, nulla præceptio in dialecticis Ariſtotelis libris legitur: quorum tamen vſus in erudito & populari hominum ſermone frequenter occurrit. Quare vt Ariſtoteles de diſſentaneis multa neceſſaria præcepta prętermiſit, ſic multa inutilia, & non neceſſaria poſuit.

COMPARATA, AC PRImùm paria.

1 De ſimplicibus argumentis & conſentaneis & diſſentaneis hactenus. De comparatis deinceps eſt agẽdum, 2 Comparata ſunt ea quæ inter ſe conferuntur. 3 Ea collatio quãtitatis aut qualitatis eſt. 4 Collatio quantitatis eſt, qua dicimus res collatas pares eſſe, aut impares. 5 Paria itaque ſunt, cùm ex quãtitate pari vel æquali par & æqualis approbatur: vbi tametſi nullę veræ ſpecies fortaſſe, ſicuti nec in cæteris comparationum generibus, modi tamen quidam ad illuſtrandũ vſum demõſtrari poſſunt. Ergo primum ſit, 6 quale eſt apud Terentium,

Quando ego tuum non curo, ne cura meum, *In Adel.*

„ 7 Cicero, Neque verò quid mihi iraſcare, *Pro Sylla.*

„ intelligere poſſum. ſi quòd eum defendo,
„ quẽ tu accuſas, cur tibi quoque ipſe non ſuc-
„ cenſeo, qui accuſes eum, quem ego defendo?
Inimicum, inquis, accuſo meum: & amicum ego defendo meum. 8 Ratio iſta perſæpe ducitur per gradus comparationis, quos grammatici diſtinxere, poſitionis, comparationis, ſuperlationis. Ouidius de Arte,

Lib.2. 9 *Nec minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.*

Philip.9. „ 10 Paulò aliter Cicero, Non magis iuris con
„ ſultus quàm iuſtitiæ, neque conſtituere litiũ
„ actiones malebat, quàm controuerſias tolle-
„ re. Iuuenalis, 11

Saty.8. *Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe*
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Philip. „ 12 Cicero, Quòd ſi cuiquam iuſtus honor
„ habitus eſt in morte Legato, in nullo iuſtior
„ quàm in Seruio Sulpitio reperietur. Catul.

13 *Diſertiſſime Romuli nepotum*
Quot ſunt, quótque fuere M. Tulli,
Quótque pòſt alÿs erunt in annis:
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, peſſimus omnium poeta,
Tanto peſſimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

14 Ouidius paulò ſecus idem genus argumenti tractauit,

Triſt.5. *Littora quot conchas, quot amœna roſaria flores,*

Quótue ſoporiferum grana papauer habet,
Sylua feras quot alit, quot piſcibus vnda natatur,
Quot tenerum pennis aera pulſat auis:
Tot premor aduerſis: quæ ſi comprehendere coner,
Icariæ numerum dicere coner aquæ.

15 Aliquando quæſtio de quantitate pari aliis argumentis tractatur, illis quidem inter ſe paribus, quæſtionis tamen alterutri parti nequaquam paribus: vt apud Martialem quæſtio hec, an Martialis ſit par Maximo, ex effectis vtriuſque paribus inter ſe tractatur,

Capto tuam, pudet heu, ſed capto Maxime, cœnã: Lib. 2.
Tu captas alias: iam ſumus ergo pares.
Mane ſalutatum veni.: tu diceris iſſe
Antè ſalutatum: iam ſumus ergo pares.
Sum comes ipſe tuus, tumidiq́ anteambulo regis:
Tu comes alterius: iam ſumus ergo pares.
Eſſe ſat eſt ſeruum, iam nolo vicarius eſſe:
Qui rex eſt, regem Maxime, non habeat.

Sic apud Terentium Gnato diſputat:

16 *Scín' quando illa mentionem Phædriæ* In Eunu.
Facit, aut ſi laudat, te vt malè vrat? Th. ſentio.
G. Id vt ne fiat, hæc res ſola eſt remedio:
Vbi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuò. ſi quando illa dicet, Phædriam
Intromittamus comeſſatum: tu, Pamphilam
Cantatum prouocemus: ſi laudabit hæc

Illius formam: tu huius contrá. denique
Par pari referto quod eam remordeat.

17 Atque hæc de paribus.

DE COMPARATIS.

1 Tranſitus eſt à ſimplicibus argumentis ad comparata: in ſimplicibus res ſimpliciter conſiderantur, quidnam propoſitæ quæſtionis ſint, an cauſæ, an facta, an ſubiecta, an adiuncta, an diſſentanea: in comparatis autem res conſiderantur per collationē quantitatis aut qualitatis, parésne ſint, an impares: ſimiles, an diſsimiles. Itaque ſuperiora argumenta comparata fieri poterunt, cùm eorum quantitas aut qualitas cum alia re comparabitur: nec enim argumentorum genera re ipſa differunt, ſed ratione duntaxat, & genere tractationis, preſertim cùm vna & eadem res modò cauſa, modò effectum, modò ſubiectum, modò adiunctum, modò reliquorum generum aliquid eſſe poſsit pro varia diſſerendi ratione & accommodatione eius argumenti ad hanc vel illam quæſtionem.

2 Comparata ſunt argumenta inſita, quæ cum parte quæſtionis comparantur: quæ definitio magis per partes comparationis, quàm per generalem hanc comprehenſionem intelligetur.

3 Comparata diuiduntur bipertitò ex rebus ſubiectis, circa quas verſantur, vt eorum quædam ſint circa quantitatem, quædam circa qualitatem. Quæ diuiſio omnes omnium generum comparationes vniuerſe complectitur.

4 Comparatio quantitatis definitur per ſuas partes. Quantitatis autem vocabulum nō ſolùm ſignificat aliquam dimenſionem mathematicam, vt lineam, extremitatem, vel corpus, ſed omnium rerum vim, facultatem, naturam, affectionem parem aut imparem: neque enim res illo ſolùm genere quantitatis pares aut

impares appellantur,ſed etiam ſubſtantia,&qualitate, & relatione,& aliis multis modis.

5 Comparatio parium, vt ait Cicero in Topicis, nec elationem habet,nec ſubmiſſionem: eſt enim æqualis: multa ſunt autem,quæ æqualitate ipſa comparantur,quæ ita ferè concluduntur: Si conſilio ciues iuuare & auxilio æqua in laudē ponēdum eſt,pari gloria debent eſſe qui conſulunt & qui defendunt. Philipp. prima, Quorum facinus commune eſt,cur non erit præda communis? Atque interdū hæc collatio ſignificatur his vocabulis par,& æqualis,& ſimilibus. Martialis,

Par ſcelus admiſit Phariis Antonius armis:
Abſcidit vultus enſis vterque ſacros.

Virgilius AEneid. 10.

Necnon Euaten Phrygium, Paridiſque Mimanta
AEqualem. id eſt tantū,quantus erat Paris. Quinetiam nomina iſta, tātus & quātus, indicant collationē parium. Martialis,

Quanta quies placidi, tanta eſt reuerentia Neruæ.

In omnibus rebus,& præſertim in primis,& maximè generalibus difficillima eſt generū & formarū inuentio:ſed pro his modos aliquot ad explicandam varietatem rei propoſitæ,vtcūque poſſumus, indicamus. Primus igitur modus parium fuerit non tam præceptis, quàm exemplis expoſitus: 6 quale illud eſt apud Terentium,vbi Demea Mitionē fratrem ſuum alloquitur,

Quando, inquit, ego non curo tuum AEſchinum, tu ne cura meum Cteſiphonem,

collatio eſt à paribus factis.

7 Cicero defenſionis ſuę officium tuetur aduerſus Torquatum à paribus factis,quæ ſunt, Accuſare inimicum,& Defendere amicum.

8 Secundus modus cernitur in gradibus grammaticæ comparationis omnibus: ac primùm in his quos grāmatici vocant poſitiuos. Ouidius lib. 4. de Ponto,

Tam fœlix vtinam, quàm pectore candidus eſſem.

9 Exemplum eſt de eo gradu collationis qui dicitur à grammaticis comparatiuus.

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

Quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet Ouidius, Táta virtus eſt conſeruare res partas, quanta eſt acquirere.

10 Comparatio parium ſic apertius exprimitur: Sulpitius tam iuſtitiæ conſultus fuit, quàm iuris: tãtúmque cupiebat controuerſias tollere, quantum litium actiones conſtituere.

11 Quanto maior eſt hominis dignitas & authoritas, tanto maius eſt & excellẽtius eius crimẽ: eſt enim princeps velut in theatro conſtitutus, quem ſui ciues ſpectant. Itaque ſi quid peccat, propter amplitudinem nominis, nullum eius peccatum obſcurum eſſe poteſt.

12 Hîc obſcurior eſt comparatio parium, Tam iuſtus erit honos Sulpitio mortuo in legatione tributus, quàm cuiquam tribui poteſt.

13 Catullus laudat Ciceronem ex paribus, Quanto Catullus eſt omnium poeta peſsimus, tanto Cicero eſt omnium patronus optimus. Quod exemplum eſt de ſuperlatione parium inter ſe collatorum.

14 Tertius modus exemplo melius & facilius, quàm præcepto cognoſcitur, vbi quot & tot indicant collationem quandam parium aliquantulum à ſuperioribus exemplis variatam. Ouidius autem exul apud Getas amplificat multitudinem ſuarum miſeriarum ſex paribus.

15 Quartus modus non eſt verè parium, ſi principem quæſtionem conſideres, quia cum altera parte quæſtionis non conferuntur vt paria: vt, Captare cœnam neque Martiali, neque Maximo (quæ partes ſunt quæſtionis) par eſt, ſed effectum utriuſque perſonę: eadémque eſt ratio de matutina ſalutatione, & comitatu honoris gratia.

16 Gnato paraſitus Thraſoni glorioſo militi conſulit, ne ſe Thaidi purget de amore Pamphilæ: ſed po-

tius augeat amorem,par pari relaturus.

17 Doctrina de paribus, & eorum modis aliquot concluditur, quorum plures eſſe poſſunt, quàm commemorati ſunt. Aliquando par pari refertur, non tam diſputando,quàm repugnando:vt,

Dic quibus in terris,& eris mihi magnus Apollo,
Treis pateat cæli ſpatium non amplius vlnas.

Cui quæſtioni cùm Menalcas reſpondere non poſſet,parem aliam difficultatem repoſuit:vt,

Dic quibus in terris,inſcripti nomina regum
Naſcantur flores,& Phyllida ſolus habeto.

Atque in hoc genere collationis, ſicut in reliquis proximis, vſus, lectio, exercitatio varietatem aliquam nondum præceptis incluſam animaduertet.

1 Imparium collatio duplex eſt : altera maiorum,altera minorum.

MAIORA.

2 Maiorum collatio eſt, cùm ex maioribus minora diſputantur. 3 Cicero,Noli tam eſſe iniuſtus, vt cùm tui fontes vel inimicis tuis pateant,noſtros riuulos etiam amicis putes clauſos eſſe oportere. Virgilius, *Pro Murena.*

4 *O ſocij:neque enim ignari ſumus antè malorũ:* *Aenei.4.*
O paßi grauiora:dabit Deus his quoque finem.

5 Cicero, Niſi fortè nihil eſt æquum vos de eorum audacia ſuſpicari, quorum cupiditati nimium anguſtus orbis terrarum eſſe videatur. 6 Collationes autem maiorum frequentes ſunt in hac amplificatione,Non ſolùm, *Agrar.2.*

Pro Murena. Sed etiam. Cicero verſus citans Ennii,
Tollitur è medio,
non ſolùm iſta verboſa ſimulatio prudentię, ſed etiam illa domina rerum
Sapientia, vi geritur res,
Spernitur orator
non ſolùm odiòſus in dicendo aut loquax, verumetiam
Bonus, horridus miles amatur.

7 Ex hoc loco ſunt quædam rhetoricæ gradationes. Cicero, *Pro Milone.* „ Neque verò ſe populo „ ſolùm, ſed etiam ſenatui tradidit: neque ſe- „ natui modò, ſed etiam publicis præſidiis & „ armis: neque his tantùm, verùm etiam eius „ poteſtati, cui ſenatus totam Rempublicam, „ omnem Italiæ pubem, cuncta populi Rom. „ arma commiſerat. 8 Aliud etiam maiorũ ex- „ emplum illud eſt, Cùm quidem ego eius pe- „ titionem grauiſsimis in Senatu ſentẽtiis op- „ pugnaſſem, neque tam illius lædendi cauſa, „ quàm defendendi atque ornandi Catonis. 9 Quod de collatione parium dictum eſt, idem eſt hoc loco dicendum. Sæpe quæſtio de quãtitate maiore diſſeritur aliis argumentis: vt apud Ciceronem hæc quæſtio, an Catilinæ cauſa ſit inferior optimatum cauſa, ex adiũctis tractatur, quę ipſa ſunt alia aliis maiora. *Catil. 2.* Sic enim Cicero Catilinæ cauſam ex-

tenuat, ei bonorum ciuium meliorem cau-
» ſam opponendo, Si, inquit, his rebus o-
» miſsis ipſas cauſas (quæ inter ſe confligunt)
» contendere velimus: ex eo ipſo quàm val-
» de ipſi iaceant intelligere poſſumus. 10 Ex
» hac enim parte pudor pugnat, illinc petu-
» lantia: hinc pudicitia, illinc ſtuprum: hinc
» fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc
» ſcelus: hinc conſtantia, illinc furor: hinc
» honeſtas, illinc turpitudo: hinc continen-
» tia, illinc libido. Denique æquitas, tempe-
» rantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes
» certant cum iniquitate, cum luxuria, cum
» ignauia, cũ temeritate, cum vitiis omnibus:
» poſtremò copiæ cum egeſtate, bona ratio
» cum perdita, mens ſana cum amentia, bona
» denique ſpes cum omnium rerum deſpera-
» tione confligit. 11 In huiuſmodi certamine
» ac prælio, nónne etiam ſi hominum ſtudia de
» ficiant, dii ipſi immortales cogent ab his
» præclariſſimis virtutibus tot & tanta vitia
» ſuperari?

1 Argumenta imparia dicuntur duobus modis, aliâs maiora, quãdo conferuntur cum aliqua re minore, quæ ſit in quæſtione poſita: vt apud Ouidium,

An ſatis ô ſuperi tutos fore creditis illos?
Quum mihi qui fulmen, qui vos habeóque, regóque,
Struxerit inſidias notus feritate Lycaon.

Lycaon ſtruxit inſidias Ioui: & Faunis igitur ſtrue-

re poterit. Hîc Iupiter cum Faunis, vt maior Deus cum minoribus comparatur. Aliâs imparia dicuntur minora, quando conferuntur cum aliqua parte quæſtionis maiore: vt, An verò vir ampliſsimus Pub. Scipio pontifex maximus Tyberium Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reip. priuatus interfecit: Catilinam verò totum orbem terrarum cæde atque incendiis vaſtare cupientem nos conſules perferemus? Hîc Scipio priuatus cum Cicerone conſule, Tyberius Gracchus mediocriter labefactans Rempublicam cum Catilina eam perdere cupiente, comparatur.

2 De Maioribus autem primo loco dicamus, quorum tractatio nō vniuſmodi eſt, ſed varia & multiplex, quemadmodum proxima exempla docebunt.

3 Cicero poteſt, & debet amicis mediocriter conſulere, cùm Sulpitius vel inimicis abundantiſsimè conſulat.

4 AEneas tempeſtate afflictus, & in Libyam deiectus ſocios conſolatur, & excitat ad tolerantiam futurorum malorum: Vos, inquit, grauiora paſsi eſtis: Leuia igitur, ſi quæ acciderint, pati poteritis.

5 Non dubium eſt, quin Decemuiri audeant aliquid concupiſcere: nam terrarum orbis eorum cupiditati nō ſufficit. Quod certè maius eſt, quàm aliquid audere concupiſcere.

6 Secundus modus Maiorum notatur, cùm ſic loquimur, Non ſolùm, Sed etiam, vbi prima pars (*Non ſolùm*) continet quæſtionem: Secunda verò (*Sed etiam*) continet argumentum maiorum: vt cùm Ennius ait,

Tollitur è medio,

non ſolùm iſta verboſa ſimulatio prudentiæ, ſed etiam illa domina rerum,

Sapientia,

comparationis huius ea vis eſt, Tollitur domina rerum Sapientia. Quid mirum igitur, ſi verboſa ſimulatio prudentiæ tollitur?

7 Sententia collationis eſt: Milo tradidit ſe Senatui. Quid mirum igitur, ſi Populo? Antecedens maius cum ſequente minore comparatur, id eſt, Senatus cum Populo: eodémque modo reliquæ partes gradationis huius explicandæ ſunt.

8 Tertius modus Maiorum illuſtratus exemplo Ciceronis, vbi defendere & ornare Catonem maius eſt, quàm Vatinium lædere. Simile eſt illud in eadem epiſtola, Quæ cùm viderem (neque enim erant obſcura) non tamen tam acerba hæc mihi accidebant, quàm erant illa grata, quæ feceram.

9 Quartus modus additur, in quo non comparantur maiora cum principe quæſtione, ſed ad principem quæſtionem explicandam quædam argumenta adhibentur, quæ inter ſe vt maiora cum minoribus conferuntur: vt, Cauſa Catilinæ eſt inferior, quàm optimatum cauſa, quia illinc improbi, hinc boni viri pugnant & contendunt. Ad probandam vtranque partem quæſtionis ſumuntur adiuncta quædam, id eſt, vitia & virtutes perſonarum, quæ ſepoſita quæſtione inter ſe contendunt vt maiora cum minoribus. Cicero enim virtutes bonorum ciuium ſuperiores eſſe vult Catilinariorum vitiis.

10 Hîc Metonymia continua eſt ex adiũctis ſubiecta ſignificans, vt ex pudore pudentes, ex petulantia petulantes, &c.

11 Quæſtio principalis concluditur ex proxima collatione rerum vtrique parti adiunctarum: quæ inter ſe collatæ (ſicut antè diximus) impares ſunt, quia virtutes vt ſuperiores cum vitiis vt leuioribus conferuntur. Animaduertendum autem eſt modos alios in hac maiorum collatione poſſe reperiri, vt apud Terẽtium, cùm Gnato Thaidis gratias amplificat pro virgine: Thraſo. *Magnas verò agere gratias Thais mihi?* *In Eunucho.*
Gnato. *Ingentes.* Th. *ain' tu? læta eſt.* Gn. *non tam ipſo quidem*

Dono, quàm abs te datum eſſe, id verò ſeriò
Triumphat.

Oratio à maioribus ſemper creſcit: plus enim eſt ingentes, quàm magnas gratias agere: & plus triumphare, quàm lætam eſſe: & plus authore muneris, quàm munere ipſo delectari. Sed genere ipſo comparationis definito, & varietatibus aliquot patefactis & monſtratis non erit difficile, cùm quid occurret à ſuperioribus modis aliquantulum diuerſum, ad ſui generis fontem & originem referre: vt in his particulis, Tum & Cum, collatio maiorum latet. Cicero, Facilè patior ea me de Republica ſentire ac dicere, quæ maximè cùm mihi, tum etiam Reipub. rationibus putem conducere. Id eſt, nō ſolùm mihi, ſed etiam Reipub. rationibus: in quo genere loquendi paulò antè docuimus ineſſe comparationem maiorum.

MINORA.

1 A minoribus non minor eſt copia rerum, cùm ex his maiora commonſtrantur. Ouidius,

De Reme. 1. 2 *Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes:*
Arida nec ſitiens ora leuabis aqua:
Vt ualeas animo, quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore maius habet.

Pro Mar. 3 Cicero, Tantum abes à perfectione
» maximorum operum, vt fundamenta, quæ
» cogitas, nondum ieceris. Horatius,

1. Epiſt. *Vt iugulent homines, ſurgunt de nocte latrones:*
Vt teipſum ſerues, non expergiſceris?

4 Alio etiam quodam modo argumen tum hoc tractatur apud Terentium,

5 *Hic verò eſt, qui ſi amare occœperit, ludum iocúmque* *In Eunucho.*
Dices fuiſſe illum alterum, praut huius rabies quæ dabit.

Item apud Iuuenalem.

6 *Malo pater tibi ſit Therſites, dum modò tu ſis* *Saty. 8.*
Æacidæ ſimilis, Vulcaniáque arma capeſſas,
Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achilles.

„ Item paulò ſecus apud Ciceronem, 7 Omnes ex omni ætate qui in hac ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, ſi vnum in locum conferantur, cum Seruio Sulpitio non ſunt comparandi. *Philip. 9.*

8 Ex hoc loco ſunt aliquando hyperbolæ. Cicero, 9 Quod enim fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes & quantòs æſtus habet ratio comitiorum? Virgilius, *Pro Murena.*

10 *Antè leues ergo paſcentur in æthere cerui,* *Eclog. 1.*
Et freta deſtituent nudos in littore piſces:
Antè pererratis amborum finibus exul
Aut Ararī Parthus bibet, aut Germania Tigrin,
Quàm noſtro illius labatur pectore vultus.

11 Vſitatiſſimus eſt minorum, & vulgo familiariſſimus modus per nomen compara-

tionis:vt apud Ouidium de Triſtibus,

Lib.3. *Sæuior es triſti Buſiride, ſæuior illo,*
Qui falſum lento torruit igne bouem.

12 Hinc etiam ſunt amplificationes eximiæ, cùm gradatim à minoribus itur ad ma-
” iora. Cicero, 13 Facinus eſt vincire ciuem
” Romanum: ſcelus verberare: propè parri-
” cidium necare: quid dicam in crucem tol-
” lere? 14 Huc pertinent extenuationes illæ.
” Idem, Nemo non modò Romæ, ſed ne vllo
” in angulo totius Italiæ oppreſſus ære alieno
” fuit, quem non ad hoc incredibile ſceleris
” fœdus aſciuerit. Paulò ſecus ad Lentulum,
” Apertius autem hæc ago, ac ſæpius, quòd
” & Quintus frater meus legatus eſt Cæſaris,
” & nullum meum minimum dictum, nõ mo-
” dò factum pro Cæſare interceſsit, quod ille
” non tam illuſtri gratia exceperit, vt ego eum
” mihi deuinctum putarem. 15 Ex hoc porrò comparationis genere ſingulares quædam ſunt in poetis & oratoribus amplificationes. 16 In quibus tamen, ſicut antea in paribus & maioribus monui, non ex rebus quæ ſint quæſtionis parti: ſed quæ ipſæ inter ſe aliæ aliis cõparatæ ſint minores. Sic Ouidius amplificat Augusti laudes collatione Romuli, quem, dum eius facta factis Augusti minora comparat, modis omnibus minorem facit,

17 *Romule concedes;facit hic tua magna tuendo* *Faſt.2.*
Mœnia,tu dederas tranſilienda Remo.
Te Tatius,paruíque Cures,Cecinnáque ſenſit:
Hoc duce Romanum eſt ſolis vtrunque latus.
Tu breue neſcio quid victæ telluris habebas:
Quodcunque eſt alto ſub Ioue,Cæſar habet.
Tu rapis,hic caſtas duce ſe iubet eſſe maritas:
Tu recipis luco,reppulit ille nefas.
Vis tibi grata fuit:florent ſub Cæſare leges.
Tu domini nomen, principis ille tenet.
Te Remus incuſat,veniam dedit hoſtibus ille:
Cæleſtem fecit te pater:ille patrem.

18 Sic Cicero imperatorem iureconſul- *Pro Murena.*
» to comparat, Quî poteſt dubitari quin ad
» conſulatum adipiſcendum multò plus di-
» gnitatis afferat res militaris, quàm iuris ci-
» uilis gloria? Vigilas tu de nocte,vt tuis con-
» ſultoribus reſpondeas: ille vt eò, quò inten-
» dit, maturè cum exercitu perueniat: te gal-
» lorum, illum buccinarum cantus exuſcitat:
» tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit: tu
» caues ne tui conſultores,ille ne vrbes aut ca
» ſtra capiantur: ille tenet & ſcit vt hoſtium
» copiæ,tu vt aquæ pluuiæ arceantur: ille ex-
» ercitatus eſt in propagandis finibus,tu in re
» gendis. Atque in his tribus parium,maiorũ,
» minorum generibus, quæ poſtrema & con-
» duplicata exempla ſunt,potius ex factis pari-

bus, ex adiunctis maioribus, ex factis minoribus, quàm omnino ex paribus, ex maioribus, ex minoribus argumentis ſtatuenda ſunt.

1 Sequitur collatio minorum, cùm argumentum minus eſt,& pars quæſtionis,quæ probatur maior: cuius aliquot modi doctrinæ gratia diſtinguuntur exemplis magis,quàm præceptis.

2 Exemplum primi modi apertius eſt apud Ouidium,qui cohortatur homines ad ſtudium virtutis comparatione laborum,qui tuendæ aut recuperandæ valetudinis gratia impenduntur.

3 Collatio minorũ eiuſmodi eſt: Cęſar fundamenta reipublicæ nondum iecit: Valde igitur abeſt,vt rempublicam perfecerit. Similes collationes crebrę ſunt in communi & populari hominum vſu.

4 Secundus modus collationis.

5 Parmeno apud Terẽtium amorem Chęreæ amplificat cõparatione leuioris amoris: quaſi amor Phædriæ ludus quidam ſit: Chæreæ verò furor & rabies.

6 Malo tibi patrem eſſe peſsimum, dummodo tu ſis generoſus & fortis,quàm patrem tibi eſſe optimum, vt tu ipſe ſis peſsimus.

7 Multi fuerunt in hac ciuitate iureconſulti præſtantiſſimi: ſed Sulpitius his omnibus præſtantior eſt: Sulpitii prudentia in iure dicendo augetur collationę aliorum iureconſultorum.

8 Tertius modus minorũ mixtus cum hyperbole, id eſt oratione mentiente veritatem augendi aut minuendi gratia.

9 Hic cõparationis vis incluſa eſt: Tẽpeſtates maris multæ magnæque ſunt,ſed fluctus comitiorum popularium multo plures maioréſque ſunt.

10 Cõparatio preſsius & apertius ſic intelligi po-

teſt: Difficillimũ eſt ceruos in aere paſci, aut mare ſiccari, aut diſiũctiſsimos fluuios mutatis inter ſe locis fluere: ſed difficilius eſt memoriã Auguſti Cæſaris ex animo Virgilii excidere. Sic Ouidius lib. 1. de Triſtibus,

Vere prius flores, æſtu numerabis ariſtas,
Poma per autumnum, frigoribúſque niues,
Quàm mala, quæ patior toto iactatus in orbe:
Dum miſer Euxini littora ſæua peto.

11 Quartus modus minorum per nomen comparationis: hæc comparatio ſic explicanda eſt: Buſiris fuit ſæuus tyrãnus, & Phalaris: tu verò multò ſæuior & crudelior. Ex hoc genere ſunt iſta, Melle dulcior, niue candidior, ſilice durior, vitro fragilior, glacie frigidior, pluma leuior, Demoſthene facũdior, Protheo mutabilior, Therſite deformior, Thraſone glorioſior, Phormione confidentior, Penelope caſtior, Nerone crudelior, Sardanapalo voluptuoſior, Vlyſſe callidior, Crœſo ditior, Iro pauperior. Fit hoc modo etiam comparatio apud Virgilium de Lauſo,

—quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

12 Quintus modus per amplificationem.

13 Si tantùm verberatus eſſet ciuis Romanus, vno gradu increuerat oratio ponẽdo etiam id eſſe facinus, quod erat inferius: & ſi tantùm occiſus eſſet, per plures gradus aſcenderat. Cùm verò dixit propè parricidium necare, ſupra quod nihil eſt, adiecit, Quid dicam in crucem tollere? Eius generis eſt exemplum etiam Philipp. 2. O rem nõ modò viſu fœdam, ſed etiam auditu: ſi inter cœnam, in tuis illis immanibus poculis hoc tibi cõtigiſſet, quis non turpe duceret? In cœtu verò populi Romani magiſter equitum, publicum negotium gerẽs, cui ructare turpe eſſet, fruſtis eſculentis, & vinum redolentibus gremium ſuum, & totum tribunal impleuit.

14 Sextus modus per extenuationem declaratur exemplo Catilinæ: vbi Catilinam obæratos collegiſſe

Romæ, minus eſt, in tota Italia collegiſſe maius.

15 Virgilius & Cicero ſępe amplificant aliquid hoc genere comparationis: vt primo libro AEneidos,

Palláſne exurere claſſem
Argiuûm, atque ipſos potuit ſubmergere Ponto,
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei?
Ipſa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem
Diſiecítque rates, euertítque æquora Ponto:
Ipſum expirantem tranſfixo pectore flammas
Turbine corripuit, ſcopulóque infixit acuto.

Hæc protaſis eſt comparationis, in qua facta Palladis aduerſus Græcos narrantur, quæ dea inferior eſt Iunone. Mox ſequitur apodoſis & redditio maioris,

Aſt ego quæ diuûm incedo regina, Iouíſque
Et ſoror & coniux vna cum gente tot annos
Bella gero: & quiſquam numen Iunonis adoret
Præterea? aut ſupplex aris imponat honorem?

Hoc argumento Cicero ſuadet Catilinæ, vt ex vrbe exeat, Serui mehercule, ſi me iſto pacto metuerent, vt te metuunt omnes ciues tui, domum meam relinquẽdam putarem: tu tibi vrbem non arbitraris? Et ſi me meis ciuibus iniuria ſuſpectũ tam grauiter atque infenſum viderem, carere me aſpectu ciuium, quàm infeſtis oculis omnium conſpici mallem. Tu cùm conſcientia ſcelerũ tuorum agnoſcas odium omnium iuſtũ, & iam tibi diu debitum, dubitas quorum mentes ſenſúſque vulneras, eorum aſpectum præſentiámque vitare?

16 Septimus modus nõ eſt verè minorum, ſi principem quæſtionem ſpectes, ſed ſi inter ſe comparaueris non habita ratione ad illam quæſtionem, tum minora quædam cum maioribus videbuntur.

17 Ouidius amplificat laudes Auguſti Cæſaris extenuatione Romuli, qui Romã condidit. Quęſtio principalis initio ponitur: Romule concedes. Deinde nouem Romuli facta minora cum totidem maioribus factis Auguſti diſputantur, quæ relata ad quæſtionem, fa-

ꝺa dicũtur, Romuli ſcilicet & Auguſti: inter ſe verò col lata, alia minora, alia maiora ſunt,

18 Cicero extenuat ſcientiam & induſtriam iureconſulti ad augendã gloriam imperatoris. Quæſtio primo loco ponitur: Quî poteſt dubitari quin ad cõſulatũ adipiſcendũ multo plus dignitatis afferat res militaris, quàm iuris ciuilis ſcientia? Deinde argumenta quæruntur ex factis iureconſulti & imperatoris, è quibus inter ſe collatis illa minora ſunt, hæc maiora.

Epilogus eſt & admonitio de non veris comparationibus parium & imparium: quę tamen comparationes vulgò dicuntur.

SIMILIA.

1 Sequitur comparatio qualitatis, ac primò ſimilium.

Similia ſunt quę in eadem qualitate comparantur. 2 in quibus interdum ſimilitudinis nota nulla exprimitur. Cic. 3 Quod cuique temporis ad viuendum datur, eo debet contentus eſſe: neque enim hiſtrioni (vt placeat) peragẽda eſt fabula: modò in quocunque fuerit actu, probetur: neque ſapienti vſque ad, Plaudite, viuendum. Virgilius, *De Senectute.*

4 *O formoſe puer, nimium ne crede colori,* *Eclog. 2.*
Alba liguſtra cadunt, vacinia nigra leguntur.

5 Aliquãdo indicatur nota ſimilitudinis, ſed breuiter. Cicero, 6 Quanquam nullum monimentum clarius Seruius Sulpitius relinquere potuit, quàm effigiem morum ſuo- *Philip. 9.*

,, rum,virtutis,conſtantiæ,pietatis, ingenii fi-
,, lium.Ouidius,

Triſt.1. — 7 *Nanq; ea vel nemo,vel qui mihi vulnera fecit,*
Solus Achilleo tollere more poteſt.

Pro Murena. Cicero, Et quoniam mihi videris iſtam
,, ſcientiam tanquam filiolam oſculari tuam,
,, non patiar te in tanto errore verſari. 8 Similitudinis nota aliâs exprimitur apertius, atque in eo interdum propoſitio redditióque vno verbo clauduntur. Cicero ad fratrem,
Epiſt.1. ,, Quemadmodum gubernatores optimi vim
,, tempeſtatis,ſic ſapiẽtiſsimi viri fortunæ im-
,, petum perſæpe ſuperare non poſſunt. 9 Aliquando propoſitio redditióque ſuis ſeparatim verbis explicantur. Ouidius,

Triſt.1. *Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum,*
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

Philip.2. Cicero, 10 Sed nimirum vt quidam mor-
,, bo & ſenſus ſtupore ſuauitatem cibi nõ ſen-
,, tiũt: ſic libidinoſi,auari,facinoroſi veræ lau-
,, dis guſtum non habẽt. Cicero ad Lentulum,
,, Vidi ego quoſdã in te tales,quales tu eoſdem
,, in me videre potuiſti. 11 Nec intereſt ficta ſint, an vera, quæ proponuntur. In vtroque enim genere par eſt ſimilitudinis ratio.

Horatius epiſt.1. 12 *Quòd ſi me populus Romanus fortè roget,cur*
Non vt porticibus,ſic iudiciis fruar iiſdem,
Nec ſequar ac fugiam,quæ diligit ipſe vel odit:

Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Reſpondit, referam: quia me veſtigia terrent
Omnia te aduerſum ſpectantia, nulla retrorſum.

13 Similia non minus grauiter, elegantérque, quàm reliqua comparata coniũguntur. Sic Virgilius in Batyllũ, qui cùm hoſce Virgilianos verſus,

Nocte pluit tota, redeunt ſpectacula mane:
Diuiſum imperium cum Ioue Cæſar habet

ſibi vendicaſſet, ex iiſque munus à Cæſare conſequutus eſſet: tùm Virgilius propoſitis quatuor verſuum nudis initiis:

Sic vos non vobis
Sic vos non vobis
Sic vos non vobis
Sic vos non vobis

hominem in perpetuum mirificè notauit. Nam cùm ea fur ille perficere non poſſet, tũ Virgilius perfecit hoc verſu præpoſito,

14 *Hos ego verſiculos feci, tulit alter honores:*
Sic vos non vobis nidificatis aues,
Sic vos non vobis vellera fertis oues,
Sic vos non vobis mellificatis apes,
Sic vos non vobis fertis aratra boues.

15 Quo etiam de genere ſunt Socraticæ inductiones Platonis, Xenophõtis, & reliquorum Socratis diſcipulorum ſermonibus celebratæ, cùm variis ſimilibus aliquid ſimile

efficitur: [16] velut apud Socraticum AEſchi-
nem demonſtrat Socrates cum Xenophon-
1.de Inuẽ. tis vxore, & cum ipſo Xenophōte Aſpaſiam
» locutam. quem locum Cicero tranſtulit, Dic
» mihi quæſo Xenophontis vxor, ſi vicina tua
» melius habeat aurum, quàm tu habes: vtrum
» illius, an tuum malis? Illius, inquit. Et ſi ve-
» ſtem, & cæterum ornamẽtum muliebre pre-
» tii maioris habeat, quàm tu habes, an illius
» malis? Illius verò, reſpondit. Age, ſi virum il-
» la meliorem habeat, quàm tu habes, an illius
» malis? Hîc mulier [17] erubuit. [18] Aſpaſia au-
» tem cum ipſo Xenophonte ſermonem inſti-
» tuit, Quęſo, inquit, ſi vicinus tuus meliorem
» equũ habeat, quàm tuus eſt, tuúmne equum
» malis, an illius? Illius, inquit. Quòd ſi fundũ
» meliorem habeat, quàm tu habes, vtrũ tan-
» dem illius malis? Illius, inquit, meliorem ſci-
» licet. Quòd ſi vxorem meliorẽ habeat, quàm
» tu habes, vtrum illius malis? Atque hîc Xe-
» nophon quoque ipſe tacuit. Pòſt Aſpaſia,
» Quoniam vterque veſtrum, inquit, id mihi
» non ſolùm reſpondit, quod ego ſolùm audi-
» re volueram, egomet dicam quid vterque co
» gitet. Nam & tu mulier optimũ virum mauis
» habere, & tu Xenophō vxorem lectiſsimam
» habere maximè vis. Quare hoc niſi perfece-
» ritis, vt neque vir melior, neque fœmina le-

„ ctior in terris ſit, profectò id quod ſemper
„ optimum putabitis eſſe, multò maximè re-
„ quireris: & tu vt maritus ſis cum optima mu
„ liere, & hęc quàm optimo viro nupta ſit.

DE SIMILITVDINE.

1 Expedito primo genere comparationis, quod circa quantitatẽ verſatur, demonſtratíſque tribus eius formis, parium, maiorum, minorum, cõparatio qualitatis deinceps explicatur, quæ duas habet ſpecies, ſimilitudinem & diſſimilitudinẽ: Illic res eiuſdem, hîc diuerſæ qualitatis comparantur: qualitas autem hîc non ſolùm Ariſtotelicam categoriam ſignificat, ſed multò latius patet, vt ea ſit, qua res quouis modo, ſiue ſubſtantia, ſiue quantitate, ſiue relatione, ſiue vllo denique genere ſimiles aut diſſimiles dicuntur.

2 Similitudo doctrinæ facilioris gratia ſic diſtingui poteſt, vt alia ſimplex ſit, cùm ex ſimili ſimile demõſtratur: alia multiplex, cùm ex multis ſimilibus vnũ aut multa ſimilia probantur. Prioris generis varii ſunt modi: Primus, in quo nulla ſimilitudinis nota ponitur: cuiuſmodi eſt aduerbium ſimilitudinis, Vt, quemadmodũ, ſicut, veluti in prima parte, quæ dicitur protaſis: & ſic, ita, non ſecus, non aliter, eodem modo in ea parte, quæ dicitur apodoſis. Interdum etiam nomina quędam ſunt notæ ſimilitudinis, vt Talis, qualis, more, inſtar, ritu, modo, exemplo: atque etiam ipſum nomen Simile, vt apud Virgilium,

Os humeróſque deo ſimilis.

3 Cato ſapientis vitam comparat hiſtrionis boni fabulæ: vt hiſtrionẽ, qui in ſingulis actibus populo placet, nõ eſt neceſſe fabulam peragere: ſic neque ſapientem, qui in quauis parte ætatis probatus eſt, ad extremã vſque ſenectutem viuere.

4 Vt candidi flores liguſtrorum ſtatim cadunt & pereunt, hyacinthi purpurei leguntur: ſic cãdor formæ iuuenilis breuis eſt, & propè momentaneus, nec forma ex parte aliqua nigricans vituperanda eſt.

5 Secundus modus, vbi ſimilitudo nota aliqua magis obiter indicatur, quàm perſpicuè explanatur: ex quo genere ſunt illa Ciceronis. vt prima actione in Verré, Sed repentè è veſtigio ex homine tanquam aliquo poculo cyrceo factus eſt Verres. Actio. 7. Vt ex illo metu mortis & tenebris quaſi luce libertatis & odore legum recreatus reuixiſſet. Pro lege Manilia, Quidam in his Cn. Pompeium ſicut aliquem non ex hac vrbe miſſum, ſed de cælo delapſum intuetur. Pro Murena, Pergitíſne tanquã ex ſyngrapha agere cum populo Romano? Pro Balbo, Neque inconſtantis eſſe puto ſententiã aliquam tanquam aliquod nauigium ex reipublicæ tempeſtate moderari. Virgilius ſecundo AEneidos,

Inſtar montis equum diuina Palladis arte
AEdificant.

6 In hoc exemplo nota ſimilitudinis eſt vocabulũ *Effigies*, quo Sulpitius filius declaratur eſſe patris ſimilis: ſed ibidem incluſa eſt collatio pariũ, cùm ſic Cicero diſputat, Nullum monumentum clarius Sulpitius relinquere potuit, quàm effigiem morũ ſuorum filium. quaſi dixerit, Sulpitius filius eſt tam clarũ & nobile patris monumentum, quàm quod maximè eſſe poſsit. In apodoſi igitur horum parium ineſt breuis ſimilitudo.

7 Solus Auguſtus poteſt ſanare Ouidium, qui ſolus eum afflixit, more Achillis: qui Telephum, quem vulnerauerat, repercuſſum ſanauit.

8 Tertius modus eſt magis illuſtris & explanatus, qui diuiditur in duas ſpecies. Prima eſt, cùm protaſis & apodoſis eodem verbo clauduntur. vt Agrar. 1. Nónne accerrimè tãquam hoſti armato, ſic huic legi pro veſtris agris reſiſtetis?

9 Secunda ſpecies tertii modi eſt, cùm protaſis, &

apodoſis verbis & clauſulis diſtinguuntur.

10 Similitudo eſt à corpore ad animum.

11 Ficta exempla etiam vim habent ſimilitudinis, vt ait Cicero in Topic. quales ſunt AEſopi fabulæ, quæ ducere ſolent animos præcipuè ruſticorum & imperitorũ, vt ait Fabius, qui & ſimplicius quæ facta ſunt audiunt, & capti voluptate facilè iis quibus delectantur, conſentiunt: ſiquidẽ & Menenius Agrippa plebem cum patribus dicitur in gratiam reduxiſſe nota illa de membris humanis aduerſus ventrem diſcordantibus fabula.

12 Apologus Horatii de leone hâc habet ſententiam: Quemadmodum beſtiæ, quæ deſcendunt in antrũ leonis, pereunt: ſic homines iacturam ſapientiæ faciũt, qui iudiciũ & ſententiam populi ſequuntur. Apodoſis huius comparationis præcedit in quæſtione, Protaſis ſequitur in fabula de vulpe & leone.

13 Hactenus de ſimplici ſimilitudine: ſequitur multiplex, quæ ex pluribus ſimilibus aliquid ſimile declarat: vt in Topic. Cicero ait, Si tutor debet fidem preſtare, ſi ſocius, ſi cui mãdaris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. Hæc ex pluribus quò vult perueniens appellatur inductio, Græcis ἐπαγωγὴ, qua plurimum vſus eſt in ſuis ſermonibus Socrates. Tale eſt illud Ouidii primo de Triſtibus,

Eſſe quidem memini mitiſſima ſedibus illis
Numina, ſed timeo, qui nocuere, deos:
Terretur minimo pennæ ſtridore columba,
Vnguibus accipiter ſaucia facta tuis:
Non procul à ſtabulis audet diſcedere, ſi qua
Excuſſa eſt auidi dentibus agna lupi:
Vitaret cælum Phaeton ſi viueret, & quos
Optauit ſtultè, tangere nollet equos.

Ex tribus ſimilibus Ouidius declarat, cur metuat Auguſtum Cæſarem: in quo exemplo apodoſis præcedit, & protaſis ſequitur.

14 Quemadmodum aues non ſibi nidificant, neque oues ſibi vellus portāt, neque apes ſibi mellificāt, neque boues ſibi arant: ſic neque Virgilius ſibi carmen compoſuerat, quod alius poeta ſurripuit. Apodoſis prima eſt, Protaſis ſecunda, in qua quidē particula, *Sic*, ponitur, vt ſæpe aliàs, cùm apodoſis antecedit protaſin.

15 Socrates inductionibus ſimilium maximè vſus eſt ad exagitandos ſophiſtas, qui cùm omnia ſe ſcire profiterentur, ignoratione tamen & inſcitia reſpōdendi deducebantur ad confeſſionem rei abſurdæ, aut ad negationem eius rei, quam prius affirmaſſent, quemadmodum conſtat ex dialogis Platonis & Xenophontis, qui Socratis præceptoris ſui ſermones perſcripſerunt.

16 Aſpaſia mulier docta & eloquens fuit, Socratémque ipſum rhetoricas artes docuit, vt ait Plato in epitaphio: huius primus dialogus eſt cum Xenophontis vxore, vbi ex duobus ſimilibus tertiū ſimile cōcluditur.

17 Meritò Xenophontis vxor erubuit, vt ait Fabius. Nam malè reſponderat, ſe malle alienum aurum, quàm ſuum: id enim eſt improbum. At ſi reſpondiſſet, ſe malle aurum ſuum eſſe tale, quale illud vicini eſſet, potuiſſet quidem pudicè reſpondere, ſe male virum ſuum eſſe talem, qualis eſſet melior. In his igitur interrogationibus cauendum eſt, ne quid ineptè reſpondeas.

18 Secundus Aſpaſiæ dialogus eſt cum Xenophonte, vbi ex duobus ſimilibus tertium ſimile concluditur.

1 Similibus expeditis diſſimilia ſequuntur.

DISSIMILIA.

Diſsimilia ſunt quæ in diuerſa qualitate comparantur. Idem autem diſsimile & diſferens, diſsimilitudinem & differentiam intelligamus, quoniā ſæpe iis vocabulis in co-

dem argumento vtimur. 2 in diſsimilibus igitur aliquando nota diſsi militudinis nulla exprimitur. Vt apud Catullum,

3 Soles occidere & redire poſſunt:
Nobis cùm ſemel occidit breuis lux,
Nox eſt perpetua vna dormienda.

4 Nota diſſimilitudinis aliquando exprimitur. Cicero, Certus dies non vt ſacrificii, *Philip.3.*
» ſic conſilii expectari ſolet. Idem ad Qu. fra-
» trem, 5 Sit annulus tuus non tanquam vas *Epiſt.1.*
» aliquod, ſed tanquam ipſe tu. Sic apud Virgilium Priamus Pyrrhum Achillis diſsimilẽ filium arguit,

6 At non ille (ſatum quo te mẽtiris) Achilles *ÆEnei.2.*
Talis in hoſte fuit Priamo.

7 Aliter pauló in his nota diſsimilitudinis effertur, quàm antea. Cicero de gratia &
» pecunia, Quanquam diſsimilis eſt pecuniæ *Pro Plãco.*
» debitio & gratiæ: nam qui pecuniam diſſol-
» uit, ſtatim non habet id, quod reddidit: qui
» autem debet, is retinet alienum: gratiam au
» tem & qui refert, habet: & qui habet, in eo
» ipſo quod habet, refert. 8 Sic oratorio tertio,
» Non eſt philoſophia ſimilis artium reliqua-
» rum: nam quid faciet in geometria, qui non
» didicerit? quid in muſicis? aut taceat opor-
» tet, aut inſanus quidem iudicetur: hæc veró
» quæ ſunt in philoſophia, ingeniis eruũtur ad

„ id quod in quoque veriſimile ſit eliciendum
„ acutis atque acribus, eáque exercitata ora-
„ tione poliuntur.9 Aliquando in diſsimilium
„ collatione vis etiam quantitatis includitur.
Act. 3. „ vt in Verrem, Nõ enim furem, ſed ereptorẽ:
„ non adulterum, ſed expugnatorem pudici-
„ tiæ: non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum
„ religionúmque: non ſicarium, ſed crudeliſ-
„ ſimum carnificem ciuium, ſociorúmque in
„ veſtrum iudicium adduximus. 10 Locus au-
tem hic aptiſsimus eſt ad diſtinguendũ quæ
vicina affiniáque ſunt, & ſimilitudine quadã
ſecus incõſiderate permiſcentur. Horatius,

In Arte. 11 *-vitaui denique culpam,*
Non laudem merui.

Lib. 3. Martialis,

Diligeris populo, non propter præmia, Cæſar:
Propter te populus præmia Cæſar, amat.

Pro Liga. „ Cicero,12 Scelus tu illud vocas Tubero, cur?
„ iſto enim nomine illa adhuc cauſa caruit.
„ Alii enim errorem, alii timorẽ: qui durius,
„ ſpem, cupiditatem, odium, pertinaciam: qui
„ grauiſsimè, temeritatem, ſcelus præter te ad-
„ huc nemo. Ibidem rurſum, Fuerint cupidi,
„ fuerint irati, fuerint pertinaces, ſceleris verò
„ crimine furoris, parricidii liceat Cn. Pom-
„ peio mortuo, liceat multis aliis carere. Oui-
dius de Arte amandi,

Non formoſus erat, ſed erat facundus Vlyſſes. *Libro.2.*
ſic Horatius, *Epiſt.1.*
Calũ, non animũ mutãt qui trans mare currunt.
„ In Maniliana, Nõ victoriam, ſed inſignia vi
„ ctoriæ reportarunt. 13 Diſsimile autẽ in Iro-
nia quandoque non continetur ſolùm, ſed
„ explicatur: vt in Piſonem, Grauis autem Ca-
„ latinus, credo, aliquis, aut Africanus, aut Ma
„ ximus, & non Ceſonius Semiplacentinus
„ Caluentius.

14 Ex his collationibus inſigniora & ſplẽdidiora ſunt, vbi multa diſsimilia conferuntur: ſic apud Virgilium Hectoris fœdè contrucidati, & quondam florentis ac triũphantis diſsimilitudo ex variis rebus oſtenditur,

15 *In ſomnis ecce ante oculos mœſtiſsimus Hector* *Aenei.2.*
Viſus adeſſe mihi, largóſque effundere fletus,
Raptatus bigis vt quondam, atérque cruento
Puluere, pérque pedes traiectus lora tumentes.
Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuuias indutus Achilli,
Vel Danaûm Phrygios iaculatus puppibus ignes!
Squallentem barbã, & concr[illegible]os ſanguine crines,
Vulneráque illa gerens, qu[illegible] circũ plurima muros
Accepit patrios.

16 Sic Cicero de Varronis Caſsinate fundo, quem Antonius per vim occupauerat, *Philip.2.*
„ O tecta ipſa miſera, quàm diſpari domino

„ (quanquam quomodo iſte dominus?)ſed ta-
„ men quàm à diſpari tenebantur? Studiorum
„ enim ſuorum M. Varro voluit eſſe illud non
„ libidinum diuerſoriũ:quæ in illa villa antè di
„ cebantur?quæ cogitabantur?quæ literis mã-
„ dabantur?iura populi Ro. monumenta ma-
„ iorum,omnis ſapientiæ ratio,omníſque do-
„ ctrina.At verò te inquilino, non enim do-
„ mino,perſonabãt omnia vocibus ebriorum,
„ natabãt pauimenta vino, madebãt parietes,
„ ingenui pueri cùm meritoriis, ſcorta inter
„ matres familiâs verſabantur. 17 Ex diſsimilibus antitheta ferè omnia ſunt, atque omnino omnis illa forma, qua dicitur, non hoc ſed illud eſſe:tum enim affirmamus non eſſe primũ,ſed aliud & differens,atq; diſsimile. Huc referẽdę ſunt illę tã frequẽtes orationis formę,vinctę cõiunctionibus illis,quanquã, quanuis,tametſi: in quibus redditio fit his particulis,tamẽ, attamẽ. Quo genere Cicero pręcipuè in exordiis delectatus eſt. Hinc
» illud Milonianum,Et ſi vereor, Iudices, ne
» turpe ſit pro fortiſsimo viro dicere incipiẽ-
» tem timere, miniméque deceat,cùm T.An-
» nius Milo ipſe magis de reipub.ſalute,quàm
» de ſua perturbetur, me ad eius cauſam pa-
» rem animi magnitudinem afferre non poſſe,
» tamen hęc noui iudicii noua forma terret o-

„ culos,qui quocunque inciderint, veterem „ conſuetudinem fori, & priſtinũ morem iu„ diciorum requirũt. Atque huiuſmodi exempla quãuis diſſentanea videantur, diſtinguẽda tamen ſunt. 18 A diſſentaneis autem diſſimilia quomodo diſtinguantur, ſi quis non ſatis animaduertit definitiones comparet, vt clarius intelligat: diſſentanea enim re & ratione diſsident, nec ſimul eſſe poſſunt: diſsimilia ſatis habent, ſi ratione diſtinguantur, reipſa diſsideant, nécne, nihil intereſt:

Candidus eſt: non igitur niger,

diſſentanea ſunt: 2. *Eclog.*

Quanuis ille niger, quanuis tu candidus eſſes,

diſsimilia ſunt: illic ex altero alterum concluditur, hîc ex alterius diuerſa qualitate alterius qualitas oſtenditur. Illa rapiunt aſſenſionem, & quaſi pugnando conuincunt: hæc animum magis admonent, & velut arbitrum faciunt. 19 Eſt autem vſus quotidiani & aſſidui comparatio: in quantitate firmamenti plus eſt ad commouendum, in qualitate plus ſplendoris ad illuſtrandum. Præcipuę verò laudis & admirationis ſunt ſimilitudines prudenter adhibitæ, 20 hinc præcipua Platonicæ ſapientiæ admiratio orta eſt, 21 hinc mathematicorum nobiles illę contemplationes ex ratione & proportione in comparatis nu-

meris & formis, quibus nec excellentius quicquã, nec admirabilius eſt ab homine dia lecticæ rationis luce repertum & cognitum.

Tranſitus eſt à ſimilitudine ad diſsimilitudinem, id eſt, comparationem rerum in diuerſa qualitate: vbi qua litatis nomen (ſicut antea diximus) plenioris eſt ſigni-ficationis, quàm in categoriis Ariſtotelis. Hoc argumẽ-tum Cicero 2. de Oratore ex diſsimilitudine vocat, in Topicis & Partitionibus differẽtiam: in Topicis enim ſic ait, Sequitur ſimilitudinem differentia rei maximè contraria: ſed eſt eiuſdem ſimile & diſsimile inuenire. Atque interdũ accidit, vt ſimilitudo propoſita euerta-tur diſsimilitudine: vt, Quales in Repub. principes, tales ſolẽt exiſtere reliqui ciues: Non quales in Repu. principes, tales ſolent exiſtere reliqui ciues. Hæc duo enuntiata contradictionis nomine pugnant: ſed in illo ſimilia ſunt, in hoc diſsimilia ad refutandam ſimilitu-dinem oppoſita.

2 Diſsimilitudo aut ſimplex eſt, cùm ex vno diſsi-mili alterum diſsimile probatur: aut multiplex, cùm multa diſsimilia comparantur. Diſsimilitudo ſimplex modos habet varios & diuerſos. Primus eſt, vbi nullæ reperiuntur notæ rerum diſsimilium indices: cuiuſmo-di ſunt prædictæ notæ ſimilitudinis negatione aliqua affectæ, vt, Non talis, nõ ſicut, non quemadmodum. Et in redditione diſsimili (quæ dicitur à Græcis ἀνταπό-δοσις) hæ particulæ frequentes ſunt, Verùm, at, at ve-rò, & ſimiles. interdum etiam nomina iſta, Aliud, diſsi-mile, differens hoc argumentum notant. Cicero pro Cælio, Aliud eſt accuſare, aliud maledicere. In Bruto, Quid eſt tam diſsimile, quàm Demoſthenes & Lyſias?

3 Catullus inuitat amicam Lesbiam ad delicias & voluptates in vita perfruendas: quæ poſt mortem nullæ futuræ ſunt: vbi ſol & vita diſsimiliter compa-rantur, quòd ille ſæpius abeat & redeat ad nos: hæc no-

bis ſemel erepta nunquam redeat. quod carmen Epicureum & impium eſt. Protaſis eſt in primo verſu, antapodoſis in reliquis duobus.

4 Secundus modus, vbi nota aliqua diſsimilitudinis exprimitur.

5 Sigillũ tuum, quo literas & diplomata obſignàs, tibi tam charum eſſe debet, quàm tu ipſe tibi es, ne quid in prouincia temerè obſignes.

6 Priamus capta Troia & regia inuehitur in Pyrrhum hoſtem, à quo ante aras iugulabatur, quaſi degenerantem à patre Achille: Achilles, inquit, talis in Priamum non fuit, qualis Pyrrhus Achillis filius in eundem eſt.

7 Tertius modus aliquantum differens à ſuperiore duobus exemplis illuſtratur. In priore diſsimilitudo primùm breuiter indicatur, Diſsimilis eſt pecuniæ debitio & gratiæ: deinde apertius exprimitur, vbi protaſis præcedit: Qui pecuniam diſſoluit, ſtatim nõ habet: qui autem habet, is retinet alienum: & ἀνταπόδοσις ſequitur: gratiam & qui refert, habet: & qui habet, in eo ipſo quod habet, refert.

8 Alterum exemplum, vbi diſsimilitudo item primùm breuiter indicatur, deinde apertius exprimitur.

9 Quartus modus diſsimilitudinis ex collatione quantitatis mixtus eſt: vt cùm Cicero ait, non furem, ſed ereptorem, cõparat antecedens cum ſequente non ſolùm vt diſsimile cum diſsimili, ſed etiam minus cum maiore.

10 Quintus modus eſt, quo res vicinæ & ſimiles diſtinguuntur, vt appareat earum inter ipſas differẽtia: vt pro Ligario, Seceſsionem tu illam exiſtimaſti, Cæſar, initio, non bellum: non hoſtile odium, ſed ciuile diſsidium. Et Martialis,

Omnes Tongilium medici iuſſere lauari.
O ſtulti, febrem creditis eſſe? gula eſt.

11 Loquitur Horatius de Latinis poetis, qui licet

in carmine peccatum effugiant,nullam tamē illuſtrem ingenii gloriam merentur.

12 Cicero remouet ſceleris nomen à facto Ligarii,qui fuit in armis contra Cæſarem:adhibétque diſtinctionem quorundam nominum.

13 Sextus modus admixtus eſt ironiæ.

14 Sequitur diſsimilitudo multiplex, cùm multa diſsimilia inter ſe conferuntur: vt apud Ciceronē pro Cælio, Quàm volent in conuiuiis faceti, dicaces, nonnunquam etiam ad vinum diſerti ſint: alia vis fori eſt, alia triclinii,alia ſubſelliorum ratio,alia lectorum: non idem iudicum comeſſatorúmque conſpectus:lux denique alia eſt ſolis & lychnorum.

15 Hector deſcribitur deformis,primùm ex adiunctis,vt veſtitu,lachrymis, raptatione, cruore, vinculis: deinde ad augendam deformitatem diſsimilia inter ſe comparantur.Protaſis incipit à verſu,

Hei mihi qualis erat: ἀνταπόδοσις ſequitur incipiens à verſu,

Squallentem barbam,&c.

16 In hoc exemplo diſsimilitudo primùm breuis eſt, deinde latius explanatur: cuius protaſis incipit ab his verbis:Studiorum enim ſuorum, &c. ἀνταπόδοσις ab his,At verò te inquilino,&c.

17 Antitheta,quæ à rhetoribus dicuntur, ſiue contrapoſita,ferè omnia efficiunt diſsimilitudinem, & temerè & inconſideratè inter figuras rhetoricas à rhetoribus confunduntur, quemadmodum definitio & partitio.Præcepta enim artium diſtinguenda ſunt,quanuis vſus eorum coniunctus & cōfuſus ſit. De antithetis autem exempla ſunt,vt act.4. in Verrem, Conferte hanc pacem cum illo bello,huius prætoris aduentū cum illius imperatoris victoria,huius cohortem impurā cum illius inuicto exercitu,huius libidines cum illius continentia:ab illo qui cepit,conditas, ab hoc qui conſtitutas accepit, captas fuiſſe dicetis Syracuſas.Pro Mure-

na,Odit populus Romanus priuatam luxuriam,publicã magnificentiã diligit.Pro lege Manilia,Cuius adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis præceptis,ſed ſuis imperiis:nõ belli offenſionibus, ſed victoriis:non ſtipendiis,ſed triumphis eſt traducta. Pro Milone,Eſt enim Iudices,non ſcripta,ſed nata lex, quam non didicimus,accepimus,legimus,ſed ex ipſa natura arripuimus,hauſimus,expreſsimus: ad quam nõ docti, ſed facti,non inſtituti, ſed imbuti ſumus.Huc pertinet ἀντιμεταβολὴ:vt,Non vt edam,viuo:ſed vt viuam,edo.

18 Diſſentanea re pariter & ratione diſsident, ſic vt alterum ab altero non diſtinguatur ſolùm,ſed planè tollatur: & quanuis idem pater & filius eſſe poſsit, non tamen hæc duo vt diſſentanea ſunt,re vnquam conueniunt:quia fieri non poteſt,vt idem ſit pater eius, cuius eſt filius.In diſsimilibus ratio duntaxat & qualitas diuerſa conſideratur,vt alterum ab altero planè tolli non ſit neceſſe,ſed vt diſtinguatur tanquam differens & diuerſum.Itaque diſſentanea omnia vt diſsimilia tractari poſſunt,vt in his qualitas diuerſa tantummodo ſpectetur:quod commune eſt omnium argumentorum, quæ tantùm genere tractationis differunt.Dic igitur: Candidus eſt,non igitur niger : diſſentanea ſunt hæc:quia alterum ab altero non diſtinguitur ſolùm, ſed etiam tollitur: dic autem,

Quanuis ille niger,quanuis tu candidus eſſes,

diſsimilia ſunt,quia qualitas diuerſa, ratióque duntaxat conſideratur, vt res ab altera diſtinguatur, non etiam tollatur.

19 Hactenus genera cõparationis deſcripta ſunt. Sequitur, vt quem vſum habeat coparatio, ad extremum videamus:vbi præcipitur comparationem quantitatis plus ad commouendum,qualitatis plus ad docẽdum & illuſtrandum valere.

20 Socratis diſputationes apud Platonem magna ex parte ſimilibus conſtant: vnde inductio Socratica

nominatur, qua Socrates plurimum delectatus & vſus eſt.

21 Mathematici per comparationes numerorum, & formarum res eas, quæ ab intelligentia humana remotæ videbantur, facile percipiunt: de maximis enim & minimis rebus ita philoſophantur, vt minimas traducant ad maiores, & maximas ad minores: vt in exiguis lineis & paruis, ſi differentia percipi nõ poſsit, par quantitas ſingulis additur: & de cælo, mundique partibus vt diſſeramus, in paruis ſimulachris ſimilitudinẽ tantæ magnitudinis adhibemus.

Quid Ariſtoteles de comparatis?

Ariſtoteles nullam comparationis generalẽ rationem definit, nullã partitur: paria & imparia nihil admodum diſtinguit, & diſsimilitudinẽ præterit: tametſi videtur differẽtiæ nomine diſsimilitudinem in Topicis aliquando ſignificare, cùm ſimilitudini differentiam opponit. In his autẽ Topicis libris locus ſimilium, maiorum, minorum tam ſæpe repetitur & iteratur, vt artem nugatoriam omnino prę ſe ferat. Nam ſi rationem doctrinę ſpectes, vna de re vnũ ſit præceptum: ſi autem vſum, diligẽter & ſtudioſè vnumquodque artis præceptum & decretum exerceatur. At Ariſtoteles nullam ſpeciem comparationis in dialecticis expoſuit: ſed omnibus penè Topicis libris eundem locum ſine vlla arte ſæpe ſcripſit & reſcripſit: & vſum quarũdam partium cõparationis diſputandis duntaxat quatuor problematum generibus ſubiecit. Quare locus hic comparationis, cuius vſus latiſsimè patet, generatim & dialecticè ab Ariſtotele deſcriptus nõ eſt: ſed ſine definitione, ſine partitione, ſine partium explicatione, confuſus & nugatoriè in Topicis iteratus, & ad vanas inutiléſq; quæſtiones, quæ nihil ſunt inuentionis dialecticæ, fruſtrà & inutiliter accommodatus.

NOTATIO.

1 Inſitæ & principes probationes quæ ad rem ſpectarent, omnes expoſitæ ſunt. Reſtant eæ, quæ pertinent ad nomen. Notatio quippe & coniugatio, quæ ex vi nominis eruuntur.

2 Notatio, eſt nominis interpretatio, quæ à Græcis σύμβολον & ἐτυμολογία nominatur. Ouidius,

3 *Eſt via ſublimis cælo manifeſta ſereno,*
Lactea nomen habet, candore notabilis ipſo. 1. Metam.

4 Cicero Bambalionem ſocerũ Antonii Philip. 3.
„ à balbutiendo nominatum deridet, Tuæ con
„ iugis bonæ fœminæ, locupletis quidem cer-
„ tè, Bambalio quidam pater, homo nullo nu-
„ mero, nihil illo contemptius, qui propter
„ hęſitantiã linguæ, ſtuporémque cordis, co-
„ gnomen ex contumelia traxerit. Martialis
de Earino, Lib. 9.

Nomen cum violis roſiſq; natum,
Quo pars optima nuncupatur anni:
Hyblam quod ſapit, Atticóſque flores:
Quod nidos olet alitis ſuperbæ:
Nomen nectare dulcius beato,
Quo mallet Cybeles puer vocari,
Et qui pocula temperat tonanti:
Quod ſi Parrhaſia ſones in aula,

Reſpondent veneres cupidinéſque:
Nomen nobile, molle, delicatum
Verſu dicere non rudi volebam:
Sed tu ſyllaba contumax repugnas:
Dicunt Earinon tamen poetæ,
Sed Græci, quibus eſt nihil negatum,
Et quos ἄρες ἄρες decet ſonare:
Nobis non licet eſſe tam diſertis,
Qui muſas colimus ſeueriores.

6 Videtur autem, vt in ſuperioribus argumentis, cauſis & effectis, ſubiectis & adiunctis, diſſentaneis inter ſe, comparatis inter ſe, ſic notationi cum nomine ſua quædã eſſe relatio: vt enim nomen ex notatione, ſic ex nomine notatio concludi poteſt. Quid enim obſtet dicere, philoſophus eſt, quare ſapientiæ ſtudioſus.

1 Hactenus dictum eſt de argumentis rerum, quorum alia ſimplicia eſſent, alia comparata, & è ſimplicibus alia conſentanea, alia diſſentanea: è comparatis verò alia in quantitate paria vel imparia, alia in qualitate ſimilia vel diſsimilia. Sequuntur argumenta ex vi nominis ſumpta: quorum duo genera ſunt, notatio & coniugatio. Notationem, vt ait Cicero, Græci ἐτυμολογίαν vocãt, id eſt verbum ex verbo, veriloquium: nos autem nouitatem verbi non ſatis apti fugientes genus hoc notationem appellamus, quia ſunt verba rerum notæ. Itaque hoc idem Ariſtoteles σύμβολον appellat, quod Latinè eſt nota. Sed hoc loco non inſtituimus notationes rerum, quæ ſunt ipſa nomina, ſed ipſorum nominũ notationes & explicationes, quibus vis & natura nomi-

num probari demonſtraríque poſsit. Notatio autem à grammaticis & dialecticis diſsimili ratione tractatur: ab illis quidem, vt accidentiæ nominum reliquarúmque partium orationis doceantur: ab his verò, vt ex origine res ipſa ſignificationi ſubiecta arguatur & probetur. Sunt etiam qui originationem potius vocent, quòd origines & cauſas nominum aperiat, vnde orta ductáque ſint: hæc habet aliquando vſum neceſſarium, quoties res de qua agitur interpretatione eget, vt cùm M. Cęlius ſe eſſe hominem frugi vult probare, non quia ſit abſtinens, ſed quia multis vtilis, id eſt fructuoſus ſit. Continet hic locus in ſe multam eruditionem & doctrinam, cùm vocabulorum ortus & partus diligenter exquirūtur. Sic Plato in Cratylo de origine nominum Græcorum diſſeruit, & M. Varro doctiſsimus omnium Romanorum diligentiam maiorem in Latinis verbis præſtiterat: & poetæ genus hoc argumenti non repudiant, cùm volunt oſtendere, cur hoc vel illo nomine res de qua agitur, nominata ſit: vt Ouidius Ianum deducit à ianua, libro primo Faſtorum,

Præſideo foribus cæli cum mitibus horis:
Et redit officio Iuppiter ipſe meo:
Inde vocor Ianus.

Idem victimam à vincendo, & hoſtiā ab hoſte deriuat,

Victima quæ dextra cecidit victrice, vocatur:
Hoſtibus à domitis hoſtia nomen habet.

Et Auguſtum ab augendo dictum eſſe vult,

Sacra patres auguſta vocant, auguſta vocantur
Templa, ſacerdotum ritè dicata manu.
Huius & augurium dependet origine verbi,
Et quodcunque ſua Iuppiter auget ope.

Et Februarium à Februis libro ſecundo,

Februa Romani dixere piacula patres:
Nunc quoque dant verbo plurima ſigna fidem.
Menſis ab his dictus, ſecta quòd pelle Luperci
Omne ſolum luſtrant, ídque piamen habent.

Et Elicium Iouem ab eliciendo libro tertio,

Eliciunt cælo te, Iuppiter: vnde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciúmque vocant.

Et Aprilem ab aperiendo libro quarto,

Nam quia ver aperit tunc omnia, denſáque cedit
Frigoris aſperitas, fœtáque terra patet,
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum,
Quem Venus iniecta vendicat alma manu.

3 Ouidius interpretatur Lacteum circulũ ex origine nominis, quia præ ſe fert candore ſuo ſpeciem lactis: vnde etiam nomẽ habet per metaphoram. Eſt autem circulus obliquus in cælo ſtellato ſubiectus oculis, latitudine & colore inæqualis.

4 Notatio ad iocandum valet, cùm interpretatio nominis rebus ipſis conuenit: Cicero Verrem nunc à verrendo, nunc à verre, id eſt porco non caſtrato quaſi dictũ fingit: & Philipp. 4. iocatur in Lyſidicum, Lumen, ait, & decus illius exercitus penè præterii Caninium Cimbrum Lyſidici filiũ, Lyſidicũ ipſum in verbo Græco, qui omnia iura diſſoluat. Martialis in Hyppodamũ,

Non belle ſemper dicitur Hyppodamus.

5 Martialis blãditur Earino puero Domitiani, cuius nomẽ laudis gratia repetit ex Græca origine: ἐαρινὸς enim eſt vernus, quaſi Earinus à vernis floribus nomen inuenerit propter blãdos & amabiles mores, venuſtatémque formæ: hæc autem nominis interpretatio illuſtratur à ſimilibus, à maioribus, & ab adiunctis.

6 Admonitio eſt de reciprocatione notationis cũ nomine ipſo, quod notatur, quemadmodum ſeſe viciſſim arguunt & demonſtrant: frequentius tamen ex notatione nomen, quàm ex nomine notatio concluditur.

Quid Ariſtoteles de notatione?

Hoc dialecticæ inuentionis, id eſt argumenti genus Ariſtoteles nõ definit: Primo libro de interpretatione nomina dicit eſſe notationes rerum: ſed hoc loco de

notis nominum agimus, non rerum. Secundo Topico monet, vt interdũ pro nomine clarior & euidentior ponatur oratio: vt ſi magnanimum dixeris nõ fortem, ſed magnum animum habentem: quod quidem Ariſtotelis exemplum etymologiam quandam magnanimi continet, ſed præceptum alterius eſt cõſiderationis. Quare hunc locum tam frequentem in bonis authoribus, támque neceſſarium ad explicandam vim & originem vocabulorũ in Ariſtotelis organo dialectico deſideramus.

CONIVGATA.

1 Coniugata dicuntur vocabula, quæ ab vno principio variè commutantur. Ouidius,

2 *Aurea ſunt verè nunc ſecula, plurimus auro* 2. de Arte.
Venit honos, auro conciliatur amor.

„ Vide (ait Cælius ad Ciceronem) ne dum Lib. 8.
„ pudet te parum optimatem eſſe, parum dili-
„ genter quod optimum ſit eligas. Iuuenalis,

3 *Summũ crede nefas, animam præferre pudori,* Saty. 8.
Et propter vitam viuendi perdere cauſas.

„ Cicero de Dionyſio tyranno, Iam menſas 3. de Nat. deorum.
„ argẽteas de omnibus delubris iuſsit auferri,
„ in quibus quod more veteris Græciæ inſcri-
„ ptum eſſet, BONORVM DEORVM: vti
„ eorum bonitate velle ſe dicebat. Propertius,

Libertas quoniam nulli iam reſtat amanti, Lib. 2.
Nullus liber erit, ſi quis amare velit.

„ Cicero in Piſonem, Cùm enim eſſet om-
„ nis cauſa illa mea conſularis & ſenatoria, au-
„ xilio mihi opus fuerat & conſulis & ſenatus.

4 Magnus vſus eſt hujus loci cùm aliis multis in rebus, tum ſæpe in iocis & agnominatione rhetorum. Cicero ad Atticum de
Lib.1. Clodianis iudicibus, Tribuni nõ tam ærarii,
Actio. 4. vt appellãtur, quàm ærati. Idem in Verrem,
„ Quæ iſte cùm cognouiſſet nouus Aſtrolo-
„ gus, qui non tam rationem cæli, quàm cæla-
„ ti argenti duceret. 5 Hic locus relationem etiam ſentit, ſed vno tantùm vocabulo: vt enim diſſentanea diſſentaneorum, & ſimilia ſimilium, ſic coniugata coniugatorum rectè dicentur.

1 Coniugata ſunt, quæ Grammatici primitiua & deriuatiua nominant: & quanuis deriuatiua, quæ ex alio coniugantur, propriè coniugata ſint: tamen ſic vſu venit, vt omnia coniugata dicantur & primitiua, & deriuatiua: vt in declinatione nominis tametſi prima poſitio & recta, vnde aliæ cadunt, caſus propriè non eſt, omnes tamen caſus dicuntur & recti, & obliqui. In Topicis Ariſtotelis σύζυγα vocantur, quæ Cicero Latinè dicit coniugata: ſed in ratione dicendi hoc inter eos intereſt, quòd Ariſtoteles diſtinguit à coniugatis πτώσεις, id eſt caſus, vt hęc nomina ſapiens, & ſapientia ſint coniugata, ſapiẽter aduerbium ſit caſus: Cicero autem omnia coniugata appellat. Ex hoc genere ſunt παρόνυμα, quæ in prefatione categoriarum definiuntur ab aliquo ſolo differentiæ caſu, quæ ſecundum nomen habent appellationem, vt à grammatica grammaticus, & à muſica muſicus. Fab. cap. 10. lib. 5. hoc argumenti genus contemnit, His, inquit, illud adiicere ridiculum putarem, niſi eo Cicero vteretur, quod coniugatum vocant: vt eos qui rem iuſtam faciunt, iuſtè facere:

quod certè probatione nõ eget: quod compaſcuum eſt, compaſcere licere. In quo ridiculus eſt ipſe Fabius, qui argumentũ non putet eſſe niſi quod probatione egeat: cùm argumẽtum omne perſpicua probatio eſſe debeat, alioqui argumentum non ſit.

2 Ouidius iocatur in auaritiã ſui temporis ex coniugatorum probabili quadam ſpecie: Coniugata autem ſunt aurum & aureum.

3 Iuuenalis admonet ne in alicuius gratiam periurus ſis, etiam ſi tibi alioqui pereundum eſſet: Coniugata ſunt vita & viuere.

4 Coniugatorum vſus in iocis & agnominatione declaratur duobus exemplis: quorum altero Cicero iocatur in Clodianos iudices non tam ærarios quàm æratos, id eſt alieno ære obrutos: altero iocatur in Verrem non tam cælum, quàm cælatum argentum ducentem: in quibus exemplis tum coniugatio, tum agnominatio cernitur. Aliquando etiam πολύπτωτον eſt in coniugatis: vt pro Murena, Sit denique in ciuitate ea prima res, propter quam ciuitas eſt omnium prima. Ibidem, Minimè timidũ, & valde calamitoſum oportere eſſe eum, qui eſſet futurus dux & ſignifer calamitoſorum. Interdum ſine ioco cõiugata per agnominationem tractantur. Ouidius libro primo Faſtorum,

Pagus agat feſtum, pagum luſtrate coloni:
Et date paganis annua liba focis.

Idem libro ſecundo de Ponto,

Tu quoque Pieridum ſtudio ſtudioſe teneris,
Ingenióque faues ingenioſe meo.

Cicero Philippica ſecunda, Non tractabo eum vt conſulem, ne ille quidem me vt cõſularem. Pro Flacco, Deſine putare authoritatẽ eſſe in eo teſtimonio, cuius author inuentus eſt nemo.

5 Relatio in quibuſdam antecedẽtibus argumentis duobus vocabulis exprimitur, vt cauſæ ſunt effectorum cauſæ: in quibuſdam vno duntaxat verbo, vt ſimi-

lia ſunt ſimilium ſimilia, quod in cõiugatis accidit: coniugatum eſt coniugati coniugatum.

Quid Ariſtoteles de coniugatis?

In Topicis nominatim præcipit de cõiugatis, à quibus (vt antè dixi) ſeparat caſus: vt aduerbia ſapienter, iuſtè, caſus ſint: nomina verò ſapiens, ſapiẽtia, iuſtus, iuſtitia, cõiugata ſint: quæ diſtinctio vana eſt: nec ab Ariſtotele ipſo ſeruatur. In iiſdem Topicis paſsim frequentes ſunt loci à coniugatis & caſibus: qui tamen generalem & communem huius argumenti vſum non oſtendunt, ſed tractandis duntaxat quatuor ſcholaſticis quęſtionibus ſeruiũt. In categoriis nomine paronymorum videtur ſpeciem aliquam cõiugationis docuiſſe, cùm ea definit, quæ ab aliquo ſolo differentia caſu ſecundũ nomen habẽt appellationem: ſed ab Ariſtotele non vt argumenta ſunt, nec explicandæ quæſtionis alicuius gratia tradũtur. Non igitur hoc mẽbrum dialecticæ inuentionis Ariſtoteles dialecticè & legitimè perſequutus eſt.

DISTRIBVTIO, AC primùm ex cauſis.

1 Sed iam tempus eſt deſcriptis argumentis principibus, vt dicamus quæ ſint à principibus orta: ea porrò duo ſunt, diſtributio & definitio.

2 Diſtributio eſt totius in partes diuiſio: itaque tam multiplex ſit neceſſe eſt diſtributio, quàm varia totius & partium ratio ſit.

3 Optimè verò & commodiſsimè quadripertita ex cauſis, effectis, ſubiectis, adiun-

ctis inſtituetur, vt intelligatur quibus è fontibus hæc oriatur.

4 Ex cauſis partitionem vocamus, cùm partes cauſæ ſunt, totũ verò effectus. Quod genus frequentiſsimum eſt in rebus his quæ ex partium coniunctione conficiuntur, vbi totum nec id eſt, quod partes: nec partes viciſsim, quod totũ eſt: vt hominis partes cùm dicimus animã rationis compotem, & corpus, hominem nec corpus, nec animam eſſe volumus, nec animam viciſsim corpúſve hominem facimus: ſed ex anima cum corpore coniuncta conſtare hominem ſignificamus. Princeps igitur cùm de re aliqua diſſeritur, diſtributio eiuſmodi, ſi res ferat, erit: quæ propoſitæ rei cauſas eã conſtituentes diſtinctis partibus explicabit, quales ferè ſunt poetarum & oratorum, cùm totam ſibi propoſitam materiam in certas partes diducũt. Cic.
„ Intelligo, Iudices, tres totius accuſationis partes fuiſſe: & earum vnam in reprehẽſione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus eſſe verſatam. Virgilius, *Pro Murena.*

5 *Quid faciat lætas ſegetes, quo ſydere terram* *Georg. 1.*
vertere, Mecœnas, vlmíſque adiungere vites
Conueniat, qua cura boum, quis cultus habendo
Sit pecori, atque apibus quanta experientia parcis,
Hinc canere incipiam.

6 Vſus huius diſtributionis latius patet: nec ſolùm res integra ex membris omnibus, vt in ſuperioribus exemplis, ſed ex eorum aliquot diſputatur. Sic Catullus in amicam Formiani, de pulchritudine ex eius aliquot partibus argumentatur,

7 *Salue nec minimo puella naſo,*
Nec bello pede, nec nigris ocellis,
Nec longis digitis, nec ore ſicco,
Nec ſanè nimis elegante lingua,
Decoctoris amica Formiani,
Tén' prouincia narrat eſſe bellam?
Tecum Lesbia noſtra comparatur?
O ſeclum inſipiens & infacetum!

Aliquando ex vno tantùm membro: vt apud eundem poetam,

8 *Quintia formoſa eſt multis, mihi cădida, longa,*
Recta eſt: hæc ego ſi ſingula confiteor:
Totum illud formoſa, nego: nam nulla venuſtas,
Nulla in tam magno corpore mica ſalis.
Lesbia formoſa eſt: quæ cùm pulcherrima tota eſt,
Tum omnibus vna omnes ſurripuit Veneres.

9 Contrà verò de membris vel vnum, vel aliquot, vel omnia ex integra re concludere licebit.

DISTRIBVTIO EX EFfectis, vbi de genere & ſpecie.

10 Secundus diſtributionis modus ex effectis eſt, cùm id quod diuiditur cauſa eſt, & partes effecta ſunt: qualis eſt apud Ciceronē Pythagorea hominum partitio, cùm Pythagoras Leonti, cui ſe philoſophum eſſe dixiſſet, explicat qui homines philoſophi ſint,
" 11 Pythagoram ait reſpondiſſe ſimilem vitam *Tuſcul. 5.*
" hominum, & mercatum eum, qui haberetur
" maximo ludorum apparatu totius Græciæ
" celebritate: 12 nā vt illic alii corporibus ex-
" ercitatis gloriam & nobilitatem coronæ pe-
" terent, alii emēdi aut vendendi quæſtu & lu-
" cro ducerentur: eſſet autem quoddam genus
" eorum, ídque vel maximè ingenuū, qui nec
" plauſum, nec lucrum quærerent, ſed viſendi
" cauſa venirēt, ſtudioſéque perſpicerēt, quid
" ageretur, & quomodo. 13 Ita nos quaſi in mer
" catus quadam celebritate ex vrbe aliqua, ſic
" in hāc vitam ex alia vita & natura profectos,
" alios gloriæ ſeruire, alios pecuniæ: raros eſſe
" quoſdam qui cæteris omnibus pro nihilo ha
" bitis, rerum naturam ſtudioſe intuerentur:
" hos ſe appellare ſapientiæ ſtudioſos, id eſt
" philoſophos. 14 In hoc ſecundo diſtributio-
nis modo diuiſio generis in ſpecies excellit:

Genus eſt quod duas, aut plures partes ſuiipſius cõmunione ſimiles amplectitur.[15] Species eſt pars ſubiecta generi. Sic animal hominis & beſtiæ genus dicimus: quia natura animalis ex æquo homini & beſtiæ attribuitur: vtrunque enim pariter animal eſt, id eſt, ſubſtãtia corporata, animata, ſentiẽs. [16] Proprium itaque generis erit de multis partibus interroganti quid eſt, reſponderi. Interdum autem generis nomine pro ſpecie abutimur.
1. de Orat. Cicero, Si quis omne ius ciuile in genera diuidat, genera ſpecies appellat. [17] Sunt autem genera & ſpecies ex cauſarum & effectorum locis. genus enim quaſdam cauſas ſpeciei ſignificat: ſpecies igitur generis effecta quædam viciſsim ſignificabit. Nec ſolùm genera ad ſpecies, ſed ſpecies ipſæ ad confirmanda genera adhibentur: eáque eſt generis & ſpeciei, quę cauſæ & effectus, quę ſubiecti & adiuncti, quæ diſſentaneorum inter ſe ratio. [18] Diſtributio autem generis in ſpecies vt firmiſsima nobiliſsimáque eſt, ita rara admodũ & perdifficilis inuentu, vt vulgatiſsima illa in ſcholis animalium diuiſio in hominem & beſtiam mãca ſit, ſi veterum philoſophorum decreta ſpectes. Deos enim ſuos mũdum, ſolem, lunã, animalia nominabant. Sed huc referamus, quod proximũ fuerit: & exempla,

quæ poſſumus, afferamus. Erant autem animantium genera quatuor, quorum vnum diuinum atque cæleſte, alterum pennigerum & aereum, tertium terreſtre, quartum diuinæ animationis: Plato in Timæo. Ouidius idem paulò ſecus in deos, piſces, feras, volucres, homines partitur,

19 *Neu regio foret vlla ſuis animalibus orba,* *Metam.* 1.
Aſtra tenent cæleſte ſolum, formæq́ deorum:
Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus vndæ:
Terra feras cepit: volucres agitabilis aer.
Sanctius his animal mentíſque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet,
Natus homo eſt.

„ 20 Cicero, Sed omne quod honeſtum eſt, *Offic.* 1.
„ id quatuor partiũ oritur ex aliqua: aut enim
„ in perſpiciẽtia veri ſolertiáque verſatur: aut
„ in hominum ſocietate tuenda, tribuendóque
„ ſuum vnicuique, & rerum cõtractarum fide:
„ aut in animi excelſi, atque inuicti magnitu-
„ dine ac robore: aut in omnibus quæ fiunt,
„ quæque dicũtur ordine & modo, in quo in-
„ eſt modeſtia & temperantia. Virtus à Cicerone diuiditur in prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam. 21 Nihil verò intereſt, an genus in ſpecies, an in earum formas diſtribuas: vt vulgò in ſcholis animaliũ dicitur aliud rationale, aliud irrationale. Spe-

cies enim in hac diſtributione ſunt, ſed euidentius expoſitæ: totum enim quod diuiditur,in partibus nihilominus intelligitur, tãquam ſi diceres, animalium aliud animal eſt rationale, aliud animal irrationale. 22 Vſus generis ac ſpeciei maximus eſt: nec ſolùm ad diſtributionis illum modũ, ſed omnino cùm ex genere ſpecies, vel contrà concludimus.

Pro Arc. 23 Ex genere ſpecies plures, vt cùm Cicero
» obiicit ſibi, Tu es orator, Archias poeta: quo-
» modo igitur debes illi fructum eloquentiæ
» tuæ? Etenim, ait, omnes artes, quæ ad huma-
» nitatem pertinent, habent quoddam cõmu-
» ne vinculũ: & quaſi cognatione quadam in-
» ter ſe continentur. Ars, genus eſt poeticæ &
» eloquentiæ. Ex genere autem ſpecies vnica. Catullus,

Nulli ſe dicit mulier mea nubere malle,
Quàm mihi, non ſi ſe Iuppiter ipſe petat:
Dicit, ſed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento & rapida ſcribere oportet aqua.

Mulier, genus eſt huius mulieris. 24 A
Philip. 8. ſpecie vnica genus concluditur apud Cice-
» ronem in Antonium, Cùm quidam Anto-
» nianum motum tumultum dicerent, nega-
» rent eſſe bellum. 25 At in quo fuit contro-
» uerſia? belli nomen ponendum in ſententia
» quidam non putabant, tumultum appellare

» malebāt, ignari non modò rerum, ſed etiam
» verborum : poteſt enim bellum ſine tumul-
» tu, tumultus eſſe ſine bello nō poteſt. [26] Martialis autem Baccharam pollicentem omnia quæ opus eſſent, feſtiuè carpit, dum ſpecies colligit rerum neceſſariarum, quas Bacchara non ſuppeditaret,

Si quid opus fuerit, ſcis me non eſſe rogandum: Lib. 7.
Bis nobis dicis Bacchara, térque die:
Appellat rigida triſtis me voce Secundus:
Audis, ſed neſcis Bacchara quid ſit opus.
Penſio te coram petitur, claréque, palámque:
Audis, ſed neſcis Bacchara quid ſit opus.
Eſſe queror gelidáſque mihi, tritáſque lacernas:
Audis, ſed neſcis Bacchara quid ſit opus.
Hoc opus eſt, ſubitò fias vt ſydere mutus,
Dicere ne poßis Bacchara quid ſit opus.

[27] Ad ſpeciei argumentum pertinent omnia ferè exēpla, quæ rebus generaliter pro-
» poſitis ſubiiciūtur, Dii præſentiam ſuam ex-
» hibēt hominibus, ait Cicero, vt Caſtor, Pol- 2. d: Nat. deorum.
» lux, Fauni: quæ exēpla ſpecies quædam deorum ſunt. [28] Aliâs itaque à genere diſputatio deſcendit ad ſpecies explicandas: aliâs ab his aſcēdit ad generis amplificationē. In artium verò ſtudiis longè principem locum tenent genera & ſpecies rerū, quorum tamē cognitio perobſcura eſt, & perdifficilis inuentu.

DISTRIBVTIO EX ſubiectis.

29 Tertius diſtribuendi modus eſt ex ſubiectis, cùm adiunctum totum eſt, partes ſunt ſubiecta. Cicero, Fuit iam à Platone accepta philoſophandi ratio triplex: vna de vita & moribus: altera de natura & rebus occultis: tertia de diſſerendo, & quid verum, & quid falſum, quid rectũ in oratione, prauúmque, quid conſentiens, quid repugnans iudicando. Catullus,

Acad.1.

30 Virginitas nõ tota tua eſt, ex parte parentũ eſt:
Tertia pars matri data, pars data tertia patri:
Tertia ſola tua eſt: noli pugnare duobus,
Qui genero ſua iura ſimul cum dote dederunt.

DISTRIBVTIO EX adiunctis.

31 Quartus diſtributionis modus eſt, cùm ſubiectum totum eſt, res adiunctæ, partes: vt cùm corporum alia dicimus eſſe alba, alia nigra, alia medio quodam affecta colore. Virg.

Georg.1.

32 Quinque tenent cælũ zonæ, quarũ vna coruſco
Semper ſole rubens, & torrida ſemper ab igni.
Quam circum extremæ dextra læuáque trahuntur
Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atris,
Has inter mediámque duæ mortalibus agris

Munere conceſſa diuûm.

Cicero principum Romanorũ alios optimates, alios populares hoc diſtributionis mo
» do facit, Duo genera, inquit, ſemper in hac *Pro Seſt.*
» ciuitate fuerunt eorum, qui verſari in repu-
» blica, atque in ea excellentius ſe gerere ſtu-
» duerunt: quibus ex generibus alteri ſe popu-
» lares, alteri optimates & haberi, & eſſe vo-
» luerunt. Diſtributionis modus nullus præterea eſt. Contrarium enim, item repugnans in contrarium, & repugnans non diuiditur: vt album nõ in nigrum, nec in rubrum partimur: 33 tametſi partitionis omnis totum, partéſque ratione quadã ſeparantur, ſed propterea diſtribuendi modus nullus nouus eſt. 34 Animaduertendũ verò eſt ex quatuor traditis diſtributionum generibus, duo eſſe primaria: alterum ex cauſis, alterum ex effectis. Atque illud, cùm totũ quod efficitur, in mẽbra conficientia: hoc cùm genus in ſpecies, earúmque formas diſtribuitur. 35 In reliquis generibus nec totum, nec partes verè dicuntur, ſed ex adiunctione quadam: totum enim à partibus, & partes à toto in his ſeparari ſępe poſſunt: quod à totius & partium natura eſt alienum. 36 Incidũt tamen tales aliquando rerum diſtributiones, & perſæpe neceſſariæ ſunt, cùm meliores ignotæ ſunt: vt in

hac inuentionis dialecticæ doctrina primæ argumentorum diuiſiones, leuiſsimæ fateor, ſed quibus nil adhuc melius eſt inuentum. Sed de diſtributione ſatis: ad definitionem eſt veniendum.

DE DISTRIBVTIONE.

1 Tranſitus eſt ab argumẽtis primis, ad ea, quæ ex primis oriũtur: quorum duo ſunt genera, diuiſio & definitio. Diuiſio enim ex quatuor primis & cõſentaneis argumentis, definitio etiam ex reliquis omnibus, atque etiam ex diuiſione fieri poteſt.

2 Diſtributio definitur generatim totius in partes diuiſio: totum autem & partes quo modo, & quàm variè intelligi debeant, poſtea dicetur.

3 Diſtributionis genera quatuor tantùm traduntur ex quadruplici natura partium, quæ diuiſionem efficiunt. Omnes enim partes diuiſionis ſunt, aut cauſæ rei totius, quę diuiditur, aut effecta, aut ſubiecta, aut adiuncta. Solẽt autem dialectici plures diuiſionis modos quàm quatuor enumerare: ſed cùm ad fontes inuentionis referuntur, melius & facilius quatuor illis generibus comprehenduntur.

4 Primum genus diuiſionis appellatur ex cauſis, quando cauſæ diuidunt totum: eáque multis modis pro varia ratione cauſarũ diſtinguitur. Poſſumus enim rem quampiam partiri ex finibus: vt, Homines nati ſunt partim ad agendum, partim ad contemplandum. Diuiſio ex formis nulla eſt: quia vniuſcuiuſque rei vnica eſt forma, & non plures, quæ diuiſionem faciant. Ex efficientibus verò ſæpiſsimè rem aliquam partimur: vt dialectica comparatur natura, doctrina, & exercitatione. Incidit etiam diuiſio ex materia, & præcipuè in rebus artificialibus: vt ſi dixeris domum eſſe compoſitam ex

lapidibus,arena,lignis,cæmẽtis.Sed optimum & præſtantiſsimum genus diuiſionis fuerit,cùm partes cauſæ ſunt internæ,& conſtituentes rem ipſam quę diſtribuitur:vt diuiſio hominis in corpus, & animam rationis participem.

5 Propoſitio eſt totius operis georgici, quod Virgilius partitur in quatuor partes: & ſingulis libris ſingulas exequitur:primo agriculturam,ſecũdo vitium & arborum culturam, tertio rem pecuariam, quarto apum naturam.

6 Dialectici diuiſionem appellant, cùm totum in partes omnes diuiditur:vbi præcipiũt,ne quam partem neceſſariam in diuiſione prætermittas,ne quam ſuperuacuam adhibeas:quod præceptum de perfecta & abſoluta diuiſione verum eſt, in qua diligenter prouidere debemus,ne quid deſit,aut redundet.Sed nos huic loco etiam ſubiicimus omne genus argumenti,cùm ex vna, vel aliquot partibus totum,vel ex toto vna, vel aliquot partes diſputantur & probãtur:quia totum & pars ſunt aliquid diuiſionis.

7 Catullus remouet aliquot partes pulchritudinis, id eſt cauſas,quæ efficere poſsint in corpore muliebri aliquam venuſtatem,vt tollat rem totam, id eſt probet amicam Formiani non eſſe pulchram & venuſtam.

8 Hoc exemplum duobus modis diſputatur:primo affirmatè,Quintia eſt cãdida,recta,longa:ergo eſt formoſa.quam complexionem Catullus antecedente conceſſo refellit vnius tantùm partis inficiatione: Quintia non eſt venuſta,non igitur formoſa.

9 Ex toto vel vnũ membrum cõcluditur:vt,Quintia eſt formoſa,ergo eſt venuſta:Vel aliquot: vt, Quintia eſt formoſa ergo venuſta ,candida,longa,recta:Vel omnia:vt,homo eſt,ergo conſtat ex corpore & animo.

10 Secundum genus diuiſionis appellatur ex effectis, cùm effecta diuidunt cauſam:vt Martialis enumerat facta Ruffi,

Quicquid agit Ruffus, nihil eſt niſi Nauia Ruffo:
Si gaudet, ſi flet, ſi tacet, hanc loquitur.
Cœnat, propinat, poſcit, negat, innuit, vna eſt
Nauia: ſi non eſt Nauia, mutus erit.
Scriberet heſterna patri cùm luce ſalutem,
Nauia lux, inquit, Nauia lumen aue.

Eſt autem animaduertendum cùm effecta cauſis reſpõdeant, eorum diuiſionem variam & multiplicem eſſe, ſicut ipſarum cauſarum, de quibus diximus: nam & finis in ſua effecta, & forma, itémque efficiens, & materia recte & commodè diuidi poterunt: nec exempla de his inuentu difficilia ſunt.

11 In hoc exemplo præcipuum argumẽtum eſt ſimilitudinis: ſed eius vtraque pars (protaſin dico & apodoſin) continet quãdam diuiſionem hominũ ex factis.

12 Protaſis eſt ſimilitudinis, vbi homines qui ludis Olympicis intererant, diuiduntur in tres quaſi ſpecies ex eorum effectis.

13 Apodoſis ſimilitudinis, vbi homines generaliter diuiduntur ex eorum factis tripartito: quòd alii ſeruiunt quæſtui, alii gloriæ, alii contẽplationi dediti ſunt.

14 Vt in primo genere excellit diuiſio, quæ eſt totius in partes internas & conſtituentes, ita in hoc ſecundo primas partes ſibi vẽdicat diuiſio generis in ſpecies: quia vt illic totum integrum, quod verè totum eſt, ita hîc totum vniuerſale, quod etiam verè totum appellatur, partitionem accipit. genus autem per metaphorã vſurpatur à dialecticis ſimilitudine ducta ab his, qui ſunt eiuſdẽ familiæ & cognationis: vt enim habẽt idem principium ſui ortus: ſic ſpecies ad communem ſui generis originem referuntur. Genus itaque eſt, quod naturam quandam habet communem ſubiectis partibus.

15 Species & forma dicitur à Latinis pro parte ſubiecta generi ſimilitudine quadam formarum naturalium, quæ vt rudem corporis molem informant, & (vt ita loquar) ſpeciendam & contemplandam tradunt: ſic

pars aliqua ſpecialis confuſam generis communionem velut effingit, & additione ſui certius nobis exprimit.

16 Quia ſubſtantia generis eſt communis multis, vt animalis homini & pecudi, eáque prima natura, & ſumma eſt generis, vt communio quædam ſit, qua partes ei ſubiectæ inter ſe ſimiles ſint, idcirco generi additur, vt de partibus interroganti quid eſt, reſpondeatur: quia natura generis, natura eſt ipſarum partium: ex quo adiuncto Ariſtoteles generis definitionem cõſtituit, cùm ait eſſe genus, quod de partibus in quæſtione quid eſt, dicitur, iiſque differẽtibus ſpecie: quod poſtremum ſuperuacaneum eſt: quod Ariſtoteles appoſuit, vt genus ab infima ſpecie diſtingueret, quæ de indiuiduis affirmaretur numero tantùm differentibus, & non ſpecie, vt putat Ariſtoteles, ſed falſo: quia indiuidua ſingula ſuis & propriis formis conſtant: quibus id ſunt, quod ſunt, & à cæteris differunt: & quanuis idonea vocabula deſint, quibus has ſingulares formas ſignificemus, nihilominus tamen eas animo & cogitatione quadã complectimur. Nulla igitur iuſta cauſa fuit Ariſtoteli, cur hanc particulam in definitione generis (differentibus ſpecie) poneret, ad diſtinguendum videlicet ſpecies & indiuidua: quæ re vera nihil hac clauſula differunt.

17 Vocabula generis & ſpeciei relata ſunt inter ſe; vt Porphyrius in capite de ſpecie teſtis eſt: qui tamẽ in eodem capite ſecum ipſe pugnat, cùm hominem ſingulorum hominum ſpeciem eſſe dicit, non etiam genus: etenim vim relationis, quę nomine ſpeciei ſignificatur, Porphyrius confundit & perturbat, cùm ſpecies rationem partis ſemper habeat, nunquam totius. Itaque hominem ſingulorum hominum genus, non ſpeciem dicere debuit, tum vt ſibi ipſi conſtaret, tum vt naturalem & germanam vim generis, & ſpeciei in docendo ſequeretur.

18 Diuiſio generis in ſpecies rara eſt, quia difficile ſit generales rerũ notiones & veras partes, quæ ſunt il-

lis ſubjectæ, vera & perfecta ſcientia comprehendere.

19 Ouidius diuidit animalia in quinque ſpecies, quas ex ſubiectis locis cælo, aere, aqua, terra diſtinguit.

20 In hoc exemplo honeſtum genus eſt, quod diuiditur in quatuor ſpecies: prudētiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam: quæ non propriis vocabulis, ſed definitionibus explicantur: nec enim intereſt, vtrū genus in formas, an in formarum definitiones diſtribuatur: atque hæc diuiſio ex primo libro Platonis de Legibus ſumpta eſt.

21 Quidam duos modos diuiſionis faciunt, & cùm genus in ſpecies partiuntur, vt animal in hominem & beſtiam: & cùm genus in differentias (vt loquuntur) ſecāt, vt animal in rationale & irrationale: cùm tamen vnus & idem modus ſit: ſed illic ſpecies ſuis nominibus, hîc ſuis definitionibus explicentur.

22 Vſus generis & ſpeciei varius & multiplex eſt: aliâs enim adhibetur ad perfectam diuiſionem, qua genus in ſpecies diuiditur, vt ſuperioribus exemplis conſtat: aliâs, vt vnam vel aliquot ſpecies concludat: aliâs, vt viciſsim ab vna ſpecie vel ab aliquot concludatur.

23 Genus (vt ait Fabius) ad refellendam ſpeciem plurimum valet: quod enim arbor non eſt, vtique platanus non eſt: ad probandam autem ſpeciem minimum valet: quod poſtremum falſum eſt, ſi genus vniuerſe ſumatur: tum enim ex eo licebit concludere & omnes & ſingulas ſpecies: vt, Omnis virtus eſt expetenda, iuſtitia igitur expetenda, & prudētia, & fortitudo, & temperantia.

24 Sequitur vſus ſpeciei, & primus quidem, cùm ex vnica ſpecie genus diſputatur, qui tum cōſtāns eſt & firmus, cùm ſpeciei affirmatio generis affirmationem concludit: vt iuſtitia eſt expetenda, virtus igitur eſt expetenda.

25 In hoc exemplo quæſtio ponitur, vtrum motus Antonianus ſit bellum: quæ probatur à ſpecie: tumultus

eſt,igitur bellum:nam ex ſpecie affirmata genus affirmatè concluditur.

26 Secùndus vſus ſpeciei eſt,cùm plures ad concludendum genus adhibentur: vt in exemplo Baccharæ,in quo neceſſarium pro genere ſumitur:ad quod refellendum ſpecies aliquot tolluntur.

27 Exemplum Ariſtoteles ait eſſe ſpeciem argumentationis:non rectè,quia argumenti nomé eſt, non argumentationis. Rhetores inter argumẽti genera prima & ſúmma exemplum numerãt: neque etiam rectè, cùm exemplum nullum ſit certum argumẽti genus,ſed aliâs ſimile,vt,Saturninus iure occiſus eſt propter ſeditionem,ſicut duo Gracchi:aliâs diſsimile, vt,Marcellus ornamenta Syracuſanis hoſtibus reſtituit, Verres eadẽ Syracuſanis ſociis abſtulit: aliâs minus,vt,Publius Scipio priuatus Tyberium Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum reipublicæ interfecit: Catilinam totum orbem terrarum cæde atque incendiis vaſtare cupientem nos conſules perferemus? Aliâs par:vt, Inimicum,inquis, accuſo meum: & ego amicum defendo meum. Aliâs ſpecies, cùm rei generaliter propoſitæ ſubiicitur: vt paradoxo primo, cùm Cicero diſputat veteribus Romanis vnicam virtutem propoſitam fuiſſe,hunc locum exemplis regũ,& conſulum, & aliorum fortium virorum illuſtrat, quæ ſingulares ciuium Romanorum ſpecies ſunt.

28 Ex genere ſpecies probatur,vnde ſunt illa rhetorum præcepta de quæſtione ſpeciali ad generalem transferenda:quæ tamen præcepta dici de quæſtione non debuerant, ſed de generis & ſpeciei vſu. Sic Cicero in orationibus ſuis,quæ verſantur circa finitas & ſingulares quæſtiones,in vniuerſum genus frequẽter excurrit,vt quod probatum fuerit in genere, probetur ſimiliter in ſpecie. Sic de vita ruſtica, & ſupplicio parricidarum pro Roſcio Amerino generaliter diſſeritur. Sic in diuinatione de accuſatore conſtituendo. Sic pro Ce-

cinna, pro Cluẽtio, pro Murena, de Iure ciuili. Sic pro lege Manilia de imperatore conſtituendo. Sic pro Archia de ſtudiis artium, & laude poetarum. Sic pro Planco de fama & gratia. Sic pro Seſtio de optimatibus. Sic pro Cælio de adoleſcentia. Sic pro Milone de conſcientia & vi diuina: qui loci cõmunes à rhetoribus appellantur, quòd generalem diſputationem continent. Contrà verò etiam per ſpecies ad genus aſcendimus: vnde ſunt inductiones rhetorum & philoſophorum à ſpecialibus rebus ad vniuerſas. Cic. pro Milone, Publij Clodii mortem æquo animo ferre nemo poteſt: luget ſenatus, mœret equeſter ordo, tota ciuitas confecta ſenio eſt, ſquallent municipia, afflictantur coloniæ, agri denique ipſi tam beneficum, tam ſalutarem, tam manſuetum ciuem deſiderant. Perſius probat varios eſſe mores hominum inductione facta per ſpecies,

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus:
Velle ſuum cuique eſt: nec voto viuitur vno:
Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti
Rugoſum piper, & pallentis grana cumini:
Hic ſatur irriguo mauult turgeſcere ſomno:
Hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille
In Venerem putris.

Eodem modo philoſophi quæſtiones vniuerſas ſpecialibus exemplis diſputant: vt intelligi poteſt ex dialogis Platonis & Ciceronis.

29 Tertium diuiſionis genus eſt ex ſubiectis, cùm ſubiecta diuidunt aliquod adiunctum; ídque fit tribus modis pro triplici ſubiecti varietate: aliâs enim ſubiecta primi generis diuidunt: vt, Colorum alii ſunt in naturis animatis, alij in inanimatis: aliâs ſubiecta ſecundi generis: vt, Veſtimenta quædam virorum ſunt, quædã mulierum: aliâs ſubiecta tertii generis: vt, Philoſophia verſatur circa mores, circa res naturales & occultas, circa diſſerẽdi rationem: hæc enim tria ſunt obiecta, circa quæ Philoſophia verſatur.

30 Virginitas diſtinguitur tribus obiectis: patre, matre,& puella nubente,circa quæ abiecta verſatur.

31 Quartum genus diuiſionis eſt ex adiũctis, cùm adiuncta diuidunt ſubiectum: idque etiam fit tripartito: aut enim adiuncta ſunt primi generis,vt, Hominum alii ſunt parui,alii magni: aut adiuncta ſecundi generis, vt,Rex cinctus eſt partim equitibus, partim peditibus: aut adiũcta tertii generis,vt,Ratio vitæ degẽdæ docetur partim in ethica,partim in politica,partim in œconomica diſciplina.

32 Mathematici Zonas per metaphoram dicunt pro circulis in cælo,& in terra fictitiis: cælum igitur in hac diuiſione ſubiectum eſt: Zonæ autem adiunctæ cęlo. Sic Lucanus cælum in orientem,occidentem, meridiem,ſeptentrionem diuidit,

Vnde venit Titan,& nox vbi ſydera condit:
Quáque dies medius flagrantibus æſtuat horis:
Et qua bruma rigens,& neſcia vere remitti
Aſtringit Scythicum glaciali frigore Pontum.

33 In diuiſione totum à partibus ratione quadam ſeparatur: quia totum non eſt idem quod ſingulæ partes: nec partes viciſsim ſingulæ idem ſunt quod totum: ſed tamen totum ſemper eſt conſentaneum ſuis partibus: partes autem inter ſe comparatæ nõnunquam diſſentaneæ ſunt,vt homo & beſtia in diuiſione animalis: nonnunquam diſsimiles tantùm, vt prudentia, iuſtitia fortitudo,temperantia in diuiſione virtutis.

34 Expoſitis quatuor generibus diuiſionis,comparatio de eorum præſtãtia & dignitate inter ſe ſequitur, vbi duo principes modi diuiſionis notantur: vnus, cùm totum integrum in membra ſua diuiditur: vt homo in corpus & animam: alter cùm totum vniuerſale in ſuas ſpecies diſtribuitur: vt animal in hominem & beſtiam: in quibus ſolis duobus modis verè totum, & verè partes inueniuntur.

35 Cùm adiunctum diuiditur in ſubiecta,ipſa ſub-

iecta non ſunt veræ partes adiunctorum,ſed quodammodo partes dicuntur,quia cum adiũctis comprehenſa ſunt.Item cùm ſubiectũ in adiuncta diuidimus,ipſa adiuncta veræ partes non ſunt,ſed hoc ipſo tantùm quòd in ſubiectis inſunt,vt colores non ſunt partes corporis, ſed partibus corporis inhærent.

36 Tertius modus diuiſionis imitatur quodámodo primum, ſicut quartus ſecundum : vnde fit, vt cùm adiunctum diuiditur in ſubiecta,diuiſio totius in membra,& cùm ſubiectum in adiuncta, diuiſio generis in ſpecies appareat.

Quid Ariſtoteles de Diuiſione?

In organo logico nullum omnino præceptum eſt, quid diuiſio ſit , & quibus generibus modíſque fiat : in Analyticis prioribus capite triceſimo ſecũdo libri primi Ariſtoteles diuiſionẽ ait eſſe velut infirmũ ſyllogiſmum:& capite viceſimotertio libri ſecundi inductionem,quæ fit ex enumeratione partium ſingularium ad explicationem totius, inter argumẽtationis ſpecies ponit:cùm tamen inductio ſit argumẽti ſpecies, non argumẽtationis. In Analyticis poſterioribus capite quinto libri ſecundi negat per diuiſionem demõſtrari poſſe quid eſt,de eo cuius eſt:& capite decimoſexto libri ſecundi diuiſionem cõfirmat eſſe vtilem diſputationibus problematum.De genere & ſpecie,quæ ſunt diuiſionis membra,paſsim in toto organo cõfuſio magna eſt ſine vlla legitima doctrina,cùm neque verè definiãtur, neque vſus verus oſtendatur.Quare Ariſtoteles in dialecticis hũc locum neque definiuit,neque diſtribuit, neque generalem & dialecticum eius vſum explicauit.

1 DEFINITIO.

2 Definitio eſt oratio,quę quod quæritur propriè & breuiter explicat quid ſit:propriè

vt omni ſoli definitæ rei definitio perpetuò conueniat. 3 Nomen ipſum definitionis à menſoribus tranſlatum eſt: quòd vt illic certis finibus & terminis agri, ſic vis naturáque rerum ſuis partibus hîc comprehenditur.
4 Definiendi genera duo ſunt, alterum propriè definitio, alterũ deſcriptio nominatur.

DEFINITIO PROPRIA

5 Definitio propria ex cauſis propriam, verámque rei naturam conſtituentibus explicat quid ipſa res ſit, ídque plerũque duobus vocabulis generis & formæ cauſas omnes propoſitæ rei continentibus: quo pacto hominem definimus animal rationale. Animalis enim nomine (quod genus eſt) natura corporata ſignificatur, quæ materies hominis eſt, & viuendi & ſentiendi vis, quę virtutes duæ ſunt animæ: tũ additur rationale, extrema conſummatio: quæ vis forma eſt hominis, & efficiens modo quodam eſt: ſtatum enim eius tuetur: & finis item, quia ad rationis abſolutionem perfectionémque tendunt omnes vigiliæ, cogitationéſque noſtræ. Ita genere formáque rei cùm definitio efficitur, omnium cauſarum (quæ ſunt in re ipſa) genera complectitur. Ex hoc itaque genere ferè conſtant artium definitiones: 6 Rhetorica,

eſt virtus dicēdi: Dialectica, virtus diſſerēdi.

DESCRIPTIO.

7 Cùm verò reliquis etiam argumentis vtimur ad explicandum quid ſit quod quæritur, deſcriptio nominatur, 8 eáque interdum breuitate par ſuperiori. Ouidius,

Amo.2. 9 *Stulte, quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?*

Horatius,

Epiſt.1. *Ira, furor breuis eſt.*

Philip.2. Cicero, Pax, tranquilla libertas. 10 Nec tamen hac breuitate definiendi perpetuò vtimur. deſiderat plerunque & res ipſa, & auditor pleniorē ſplendidiorémque orationem. Ita plerunque aſſumuntur orationes longiores ad explicandum definiendúmque quod quæritur: unde efficitur aliquid proprium, quod in aliam rem nullam transferri poſsit. Sic apud Virgilium fama pingitur,

AEnei.4. 11 *Fama, malum, quo non aliud velocius vllum*
Mobilitate viget, viréſque acquirit eundo.
Parua metu primò, mox ſeſe attollit in auras,
Ingreditúrque ſolo, & caput inter nubila condit.
Illam terra parens ira irritata deorum
Extremā (vt perhibent) Cæo Enceladóque ſororē
Progenuit pedibus celerem, & pernicibus alis.
Monſtrum horrendum, ingens, cui quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter, mirabile dictu,

Tot linguæ, totidẽ ora ſonant, tot ſubrigit aures,
Nocte volat cæli medio, terraq́ per vmbram
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno.
Luce ſedet cuſtos, aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat vrbes,
Tam ficti prauíque tenax, quàm nuntia veri.

12 Similis eſt illa ex effectis gloriæ definitio apud Ciceronem, Sed tamen ex omnibus præmiis virtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorum, ampliſsimum eſſe præmium gloriam: hanc vnam, quæ breuitatem vitæ poſteritatis memoria conſolaretur, quæ efficeret vt abſentes adeſſemus, mortui viueremus: hanc denique eſſe, cuius gradibus etiã homines in cælum videantur aſcendere. Sic Gnato definitur apud Terentium, *Pro Milo.*

13 *Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt,* *In Eunuc.*
Nec ſunt tamen: hos cõſector, hiſce ego nõ paro me vt rideant,
Sed his vltrò arrideo, & eorum ingenia admiror ſimul.
Quicquid dicunt, laudo: id rurſum ſi negant, laudo id quoque:
Negat quis? nego. ait? aio. poſtremò imperaui egomet mihi
Omnia aſſentari: is quæſtus multò eſt vberrimus.

14 Tales ſunt deſcriptiones in poetis, &

oratoribus perſonarum, vrbium, regionum, fluminum, montium, ex omnibus argumentorum generibus. Atque huiuſmodi definitionibus perſpicuis magis quàm breuibus referta ſunt in bonis authoribus tota volumina. 15 Nec prætereundum eſt, reciprocationem probationis hîc eandem eſſe, quæ in ſuperioribus eſt argumentis: vt enim ex definitione ſæpe res definita diſputatur, ſic contrà ex definita re definitio aliquando cõcludetur. 16 Atque toto in definiendi genere nõ tam breuitatis, quàm perſpicuitatis habenda ratio eſt: non enim memoriæ gratia ſolùm (quam breuitas adiuuat) ſed multò magis intelligentiæ, quam perſpicuitas efficit, definiendi via quæſita eſt. 17 Ac certè tenendum illud eſt in tradendis artibus definitiones illas duobus vocabulis comprehenſas genere & forma, magis eſſe comprehenſiones breues, quàm faciles explicationes: niſi ab attento diligentíque doctore diſcipulis familiariter & intelligenter exponãtur. 18 Atque vt cauendum eſt diligenter, ne quid ad diſertam expoſitionem deſit, ita prouidendum, ne quid redundet.

DE DEFINITIONE.

1 Definitionem philoſophi maximè commendãt: nec tãtùm præcipiunt, vt in docendo res propoſita de-

finiatur, ſed etiã quæ ſit ars ipſa faciendæ definitionis, explicãt: vt Plato in Ciuili, & in Theæteto: Ariſtoteles in Analyticis poſterioribus, & in Topicis. Definitionis autem doctrinã idcirco poſtremã tradimus, quia definitio poſsit fieri ex omnibus expoſitis argumentis conſentaneis, diſſentaneis, comparatis, notatione, coniugatione, atque etiam diuiſione: In artibus autem ea poſtremo loco explicãda ſunt, quorum cognitio ex antecedentibus pendeat.

2 Definitio tribus virtutibus laudatur: proprietate, vt rem totam & ſolam quæ definitur, contineat: perſpicuitate, vt clarè exponat, quid ſit: breuitate, vt facilius ediſcatur.

3 Definire propriè eſt fine concludere, & terminare, vt agrum, vt aream, vt regionem: & per metaphoram eſt rei propoſitæ naturam quaſi verbis circunſcribere & explicare: vt enim menſores decempeda agrum metiuntur, ſic, vt eum ab aliis agris diſtinguant: ita res de quã agitur, definitione quid ſit, explicatur, & à cæteris rebus diſtinguitur. Græcis eadem tranſlatione eſt ὅρος & ὁρισμος, à verbo ὁρίζω, id eſt termino: quia definitio rem propoſitam ſuis finibus terminat: Cicero libro primo de Oratore vocat finem, & Quintilianus libro ſeptimo finitionem.

4 Diuiſio definitionis in duo genera in organo Ariſtotelis verbis quidẽ expreſſa non eſt, ſed tamen huc ferè recidunt quæ ab Ariſtotele topico 6. de vera definitione, & topico 5. de deſcriptione præcipiuntur.

5 Definitio propriè dicta vt nobiliſsima eſt ad perfectam rei ſcientiam conſequendam, ita inuentu difficillima: quia cauſæ rem conſtituentes ſæpe nos fugiunt, quæ interdum ſignificãtur vocabulis generis & formæ, vt cùm homo definitur animal rationale: interdũ etiam partibus his, quæ membra rei totius dicuntur, vt cùm homo definitur id quod conſtat ex corpore & anima rationali.

6 Cùm Rhetorica definitur virtus dicendi, virtus rhetoricæ genus eſt,& dicere formalis cauſa, per quam rhetorica id eſt, quod eſt,& à cæteris diſciplinis diſtinguitur.

7 Deſcriptio à Græcis dicitur καταγραφὴ, vt ait Cicero in Topicis, quæ (ſi cauſas internas, & rem ipſam conſtituentes exceperis) ex quouis genere argumenti efficitur, vt cauſis quibuſdã externis, effectis, ſubiectis adiunctis, diſſentaneis, comparatis, notatione, coniugatione, diuiſione: quod Cicero in Topicis & Partitionibus animaduertit & docuit.

8 Deſcriptionis duo ſunt genera, vnum breuius,& paucioribus verbis comprehenſum: alterum longius, id eſt minus breue: nam in vtroque genere breuitatem ineſſe volumus, quæ nihil ſuperuacuum eſſe patiatur: ſed vbi minus eſt verborum, breuiorẽ: vbi plus eſt,longiorem, id eſt minus breuem deſcriptionẽ appellamus.

9 Somnus deſcribitur à ſimilibus, comparatúrque morti, quia in ſomno tolluntur omnes actiones ſenſuum, ſicut in morte.

10 Fabius libro ſeptimo, An, inquit, ſi non dixero, homo eſt animal rationale,mortale, non potero expoſitis tot animi corporíſq; proprietatibus latius oratione ducta, vel à mutis eum diſcernere, vel à diis? Quid, quòd nec vno modo definitur eadem res, ſed latiore varióque tractatu? vt facit Cicero,vt omnes oratores plerunque fecerunt. Rariſsima enim apud eos reperietur illa ex conſuetudine philoſophorum ducta ſeruitus ad certa verba ſeſe aſtringendi: eámque M. Antonius lib. 2. de Orat. vetat: nam eſt etiam periculoſum, cùm,ſi in vno verbo ſit erratum, tota cauſa cecidiſſe videamur.

11 Virgilius famam, id eſt, publicum rumorem de aliquo in vulgus ſparſum deſcribit ab adiũctis, effectis, cauſis, comparatis. Primus itaque locus eſt ab adiũctis famæ, quæ illuſtrantur à minori ad maius.

Secundus locus ab effectis famæ.

Tertius locus à cauſis procreantibus, & adiunctis,
Quartus à paribus.
Quintus ab effectis famæ.
Sextus & vltimus à paribus.

12 Gloria deſcribitur ex duobus effectis, & quòd bonorum virorum memoriam efficit immortalem, & quòd hos ipſos ducit in cælum.

13 Gnato paraſitus apud Terentium definitur ex effectis, quæ ſunt, ambitioſis hominibus arridere: eos admirari: ad eorum vultus, ſermones, voluntates ſe componere.

14 In poetis & oratoribus, qui res ſpeciales & ſingulares ſæpe tractant, deſcriptiones longè frequentes ſunt duabus de cauſis: & quia illis propoſitum eſt, non ſolùm docere, ſed etiam mouere & delectare auditoré: quod efficitur graui & copioſa oratione: & quia ſpecialia pluribus egent, vt definiantur, quàm vniuerſalia: vt apud Virgilium AEneas magnificè depingitur libro primo AEneidos,

Reſtitit AEneas, claráque in luce refulſit,
Os humeróſque deo ſimilis: nanque ipſa decoram
Cæſariem nato genitrix, luménque iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores:
Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo
Argentum Pariúſve lapis circundatus auro.

Et ibidem Carthago vrbs Libyæ,

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni,
Carthago, Italiam contra, Tyberináque longe
Oſtia, diues opum, ſtudiiſque aſperrima belli,
Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam
Poſthabita coluiſſe Samo: hic illius arma,
Hic currus fuit.

Item Italia,

Eſt locus, Heſperiam Graij cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis, atque vbere glebæ:
OEnotrij coluere viri: nunc fama minores

Italiam dixiſſe, ducis de nomine gentem.

Item Timauus eodem libro,

- & fontem ſuperare Timaui,

Vnde per ora nouem vaſto cum murmure montis

It mare præruptum, & pelago premit arua ſonanti.

Sic Parnaſus mons apud Ouidium deſcribitur primo libro Metamorphoſeos,

Mons ibi verticibus petit arduus aſtra duobus,

Nomine Parnaſus, ſuperátque cacumine nubes.

Hæc igitur & ſimilia poetæ & oratores magnificentius exprimunt quàm philoſophi, qui in docendo ſubtilitatẽ breuitatémque conſectantur: & res illuſtrant ex omnibus generibus argumẽtorũ, cauſis, factis, ſubiectis, adiunctis, diſſentaneis, comparatis, notatione, coniugatione, & diuiſione.

15 Argumentum definitionis vim quãdam relationis continet, ſicut ſuperiora inſita omnia: definitio enim eſt rei definitæ definitio: & res quæ definitur, definitione definitur: in híſque mutua & reciproca probatio eſt: vt, Animal rationale eſt aptum ad diſciplinã, homo igitur aptus eſt ad diſciplinam: & contrà, Homo aptus eſt ad diſciplinam, animal igitur rationale ad diſciplinam aptum eſt.

16 Hic locus explicat particulam ſuperioris definitionis de breuitate, quæ duplex eſt, aut cùm verbum nullum redundat, aut cùm verborum tantum eſt, quantum neceſſe eſt: quæ breuitas, vt ait Cicero, ſæpe obeſt, nõ ſolùm quòd obſcuritatem parit, ſed etiam quòd eam virtutem, vt ſit oratio iucunda, tollit.

17 Et tamen in artibus maximè probãtur definitiones breues, tũ propter breuitatem, quia, vt ait Horatius,

Quicquid præcipias, eſto breuis:

tum propter comprehenſionem cauſarum, ex quibus res propoſita conſtat. Itaque licet non tã perſpicuè rem explicent, quàm ſi pluribus verbis dilatarentur, in diſciplinis tamen adhibendæ ſunt eiuſmodi quæ & facilè

ediſcãtur, & ſemel perceptæ in animis diutius hæreãt.

18 Cicero libro ſecundo de Oratore, Hoc præcipit ratio atque doctrina definiendi, vt vis eius rei, quam definias, ſic exprimatur, vt neque abſit quicquã, neque ſuperſit: deeſt autẽ aliquid in definitione, cùm tota res non explicatur: & redũdat, cùm aliquid detrahi poteſt, vt tamen integra maneat definitio.

Quid Ariſtoteles de definitione?

Ariſtoteles in Analyticis prioribus iubet ad medii, id eſt, argumenti copiam & facultatem definitiones videre: libro ſecũdo Poſteriorum analyticorum diſputatio longior eſt, quòd demõſtratio & definitio eiuſdem rei eſſe non poſsint: quòd ſyllogiſmo duplicante non poſsit monſtrari quid eſt, de eo cuius eſt: quòd definitio definitione ſua, aut definitione contrarii, aut vllo alio modo non monſtretur: quòd quid eſt monſtratur per aliud quid eſt: item de definitione quid eſt, & propter quid eſt: in quo ſophiſmate multæ paginæ perduntur. Caput præterea decimumquartum eſt, quo pacto definitio inueſtiganda ſit ſumendis his, quæ cum aliis communia ſunt, dum efficiatur aliquid proprium, quod non poſsit in aliam rem transferri. In Topicis definitio definitur non quidem generatim, ſed ea duntaxat, quæ fit ex cauſis rem ipſam cõſtituẽtibus: vbi definitioni ſubiicitur nomen pro oratione poſitum, & quæſtio de eodem & diuerſo, atque in his libris locus à definitione paſsim ſæpius iteratur. Sexto autẽ doctrinam definiendi plenam, & perfectã tradere videtur: quæ multis præceptis non modò falſis, ſed etiam ſuperuacaneis & inutilibus referta eſt, vt his qui dialectico & prudenti iudicio tam multa præcepta legent, perſpicuum eſſe poterit. Itaque vt in ſuperioribus argumentis, ſic in definitione tractanda Ariſtoteles dialecticam contempſit: quippe qui hũc locum neque generaliter definiat, neque vno loco doceat, neque quis eius vſus ſit, oſtendat.

ASSVMPTA ARgumenta.

1 Inſitis argumentis expoſitis ad extrinſecus aſſumpta veniẽdum eſt: quæ aſſumuntur, nõ vt inſita, è partibus quæſtionis, ſed ex enuntiatione vniuerſæ quæſtionis, 2 quam deus homóve negauerit aut affirmauerit, vnde teſtimonia nominãtur. 3 Diuina ſunt quæ vel à Deo ipſo eduntur, vel ab hominibus, aliíſve naturis inſtinctu diuino afflatis funduntur. Diuina igitur teſtimonia ſunt vera oracula, quæ ſacris literis continentur. Sed exempla proferamus, qualia nobis authores hi (quibus adhuc ſumus vſi) ſuppeditant, vt illuſtriorem locum faciamus. Tibullus,

Lib.3. 4 *Quòd ſi vera canunt ſacris oracula templis:*
Hæc illi noſtro nomine dicta refer.
Hoc tibi coniugium promittit Delius ipſe:
Fœlix, ac alium deſine velle virum.

Pro Milo. Cic. 5 Itaque hoc Iudices, non ſine cauſa „ fictis fabulis doctiſsimi homines memoriæ „ prodiderunt eum, qui patris vlciſcendi cau„ ſa matrem necauiſſet, variatis hominum ſen„ tentiis non ſolùm humana, ſed etiam deæ ſa„ pientiſsimæ ſententia liberatum. Teſtimonium Palladis eſt. 6 Humana autem teſtimonia ſunt Philiſophorũ ſententiæ: vt Socratis

illud, Vnicū bonum ſcientia, &, vnicum malum ignorantia. 7 Et poetarum. Virgilius,

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere diuos. *Aenei.6.*

Iuuenalis,

Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas. *Saty.2.*

Horatius,

-Mors, vltima linea rerum. *Epiſt.1.*

Martialis,

Extra fortunam eſt quicquid donatur amicis. *Lib.5.*

» Oratorū. Cicero, Propoſita inuidia, mor- *Pro Milo.*
» te, pœna qui nihilo ſegnius rempublicā de-
» fendit, is vir verè putandus eſt. Excellentium
» virorum, vt Solonis: Neque ſolùm vt Solo- *Cicero ad*
» nis dictum vſurpem, qui & ſapiens fuit vnus *Brutum.*
» ex ſeptē, & legum ſcriptor ſolus ex ſeptem.
» Is rempublicam duabus rebus contineri di-
» xit, præmio & pœna. 8 Huc pacta referenda
ſunt. Cicero pactum reprehēdit Antonii de
» perdenda republica cum Cæſare, Quid au- *Philip. 2.*
» tem agebatur, niſi vt delere & euertere rem-
» publicā funditus velles? cùm te neque prin-
» cipes ciuitatis rogando, neque maiores natu
» monendo, neque frequēs ſenatus agendo de
» vendita atque addicta ſententia mouere poſ-
» ſet. Huc etiā promiſſa pertinent. Idem, 9 Au- *Philip.5.*
» debo etiam obligare fidem meam, P. C. vo-
» bis, populóq; Romano: quod profectò cùm
» me nulla vis cogeret, facere non auderē: per-

„ timeſcerémque in re maximè periculoſa o-
„ pinionem temeritatis: promitto, recipio,
„ ſpōdeo P. C. Cæſarem talem ſemper fore ci-
„ uem, qualis hodie ſit: qualémque eum maxi-
„ mè velle & optare debemus. Eſt quoque teſtimonii quædam vis: cùm iubemus contradicentem experiri. Terentius,

In Eunu. *Fac periculum in literis, fac in palæſtra, in muſicis, quæ liberum*
Scire æquum eſt adoleſcentem: ſolertem dabo.

Ouidius,

Triſt. 3. *Quod magis vt liqueat, néue hoc ego fingere credar,*
Ipſe velim pœnas experiare meas.

11 Huc ſimiliter ſpectat iuſiurandū: quale eſt Virgilianum illud,

Aenei. 6. *-per ſydera iuro,*
Per ſuperos, & ſi qua fides tellure ſub ima eſt,
Inuitus regina tuo de littore ceßi.

12 Teſtimoniis autem humanis vulgò ab imperitis & ſimplicibus creditur, ſi prudēs, probus, noſtri ſtudioſus teſtis videatur. 13 Monet tamē Socrates apud Platonem & rhetores in præceptis de hac ipſa re, in exquirenda veritate teſtimoniis tantum credēdum eſſe, 14 quantum ratio permiſerit. 15 Atque idcirco hoc argumenti genus expers artis appellauero, quia ferè nihil admodum approba-

tionis, id eſt artis huius (quæ argumenta & probationes oſtendit) habeat. Quanquam ſcio aliam huius nominis rationem à rhetoribus afferri. Conſideranda eſt ergo in teſtimonio cauſa cur dictũ ſit: teſtis vita, moréſque ſpectandi.

16 PERORATIO INuentionis.

17 Hactenus inuẽtionis dialecticæ genera expoſita ſunt: in quibus ſingulis quæ vis eſſet oſtendimus. 18 Nunc autem in vniuerſum monẽdum illud eſt, propoſitis quæſtionibus vt accommodata argumenta quærantur: Si artes, ſi res ſtabiles & æternę ſunt ſubtiliter explicandæ, ex cauſis aſſumpta declaratio aptior erit: ſi deliberatio de pace, iudicium de facinore, commendatio rectè factorum, aut quiduis eorum quæ quotidie euenire ſolent, diſputandum erit: nullus erit locus inuẽtionis qui iuuare non poſsit. 19 Nec verò cõturbemur, quòd & cauſa, & effectus, & ſubiectum, & adiunctum, ac omnia argumenta, eadem res eſſe poſsit: vt animal efficitur à certis cauſis, & quædam efficit. Idem ſubiectum eſt multorũ adiunctorum, & ſubiecti cuiuſdam eſt adiunctum, vt terræ, idem & ſpecies & genus: argumenta enim ratio-

nes puræ ſunt,& nudæ,& ſatis habent,ſi ratione diſtinguantur, quãuis aliquando in eadem re conueniant.

DE TESTIMONIIS.

1 Argumentum generatim diuiſum fuit in inſitum & aſſumptum: & quę eſſent inſiti ſpecies,& quem vſum haberent,ex antecedentibus præceptis cõſtare ſatis arbitror. Reſtant igitur aſſumpta argumenta,quæ definitione,diuiſione,& exẽplis illuſtrantur: definiuntur autem ex diſsimilibus,quòd non ſumantur ex altera parte quæſtionis,ſicut inſita,ſed ex totius quęſtionis affirmatione, vel negatione ad eam probãdam vel improbandam aſſumantur: vt ſi quis probare velit diligẽdum eſſe proximum, quia Deus præcepit, vt quiſque proximum ſuum diligeret: aut non eſſe furandum, quia Deus prohibuit,ne quis furetur,vtrunque argumentum eſt teſtimonium diuinũ, & ex tota quæſtione aſſumptum, non ex hac vel illa parte.

2 Generalis diuiſio argumenti aſſumpti, id eſt teſtimonii hîc obiter indicatur in diuinúm & humanum: illud, cùm diuina, hoc, cùm humana authoritas ad aliquid affirmandum,aut negandum aſſumitur.

3 Diuinis teſtimoniis idcirco ſumma fides tribuitur,quòd à Deo prolata ſint, qui eſt ipſa veritas: cuiuſmodi ſunt leges à Deo Hebræis latæ, & Euangelium Chriſti: vel quòd ab hominibus proferãtur diuino numine præditis,vt prophetis,ſacerdotibus,apoſtolis,per quos Dei ſpiritus loquutus eſt. Itaque cùm quid ſacræ literæ loquuntur,veritas ipſa, id eſt Deus loquitur. quæ autem ab Ethnicis teſtimonia diuina dicũtur,partim in eiuſmodi rebus ſunt (licet falſis & impiis) quas vel dii ipſi,vel eorum afflatu homines pronuntiaſſent: partim in diuinatione, quæ duplex olim fuit: vna artificioſa in cõiecturis ominum,& ſortium, in obſeruationibus ful-

gurum, oſtētorum, & extorum: altera naturalis in furore mentis, & diuina per ſomnium prouiſione. Exempla tamen ad hunc locum illuſtrandum ex profanis authoribus petũtur, quia nobis propoſitum eſt ex his generalem dialecticæ artis vſum demonſtrare.

4 Tibullus nuntiat amicæ, vt ſperet cũ eo nuptias: quia Apollinis oraculum promiſit.

5 Oreſtes iure Clitemnæſtram matrẽ occidit: quia ita iudicauit Pallas. hic anno ſeptimo poſt mortẽ Agamemnonis patris, Clitemnęſtram & AEgiſtum adulterum interfecit: quod factum dii comprobarunt & vitæ ſpatio, & imperii fœlicitate: nã & nonaginta vixit annos, & ſeptuaginta regnauit.

6 Humana teſtimonia ex hominibus ſumuntur, in quibus ineſt authoritas ad faciendam fidem: eáque hoc loco bifariã diſtingui poſſunt, tum ex genere & authoritate hominum, vt philoſophorum, poetarum, oratorum, & aliorum excellentium, quorum ſententias inſignes & illuſtres Plutarchus collegit: tum ex ratione & formula teſtãdi, vnde ſunt pacta, promiſſa, poteſtas experiundi data aduerſario, iuſiurandum, & alia multa.

7 Poetarum verſus non ſolùm ab authoribus, ſed etiam à philoſophis frequenter vſurpantur: qui quanquam præceptis ſuis credũt, authoritatem tamen à verſibus non faſtidiunt: ſic Plato ſæpe citat verſus Homeri, Simonidis, Heſiodi, & aliorum veterum poetarum: & Cicero in libris philoſophicis poetarũ teſtimoniis mirum in modum delectatus eſt: & orationibus interdum verſus inſerit: vt pro Murena Ennii,

Tollitur è medio ſapientia, vi geritur res:
Spernitur orator bonus: horridus miles amatur:
Non ex iure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt.

In Piſonem, Plauti,

Ratio quidem hercle apparet: argẽtum οἴχεται. & Philippica ſecunda, neſcio cuius poetæ,

Male parta, male dilabuntur.

8 In pactis ſunt tabulæ priuatæ & publicæ, quæ ad quæſtionem affirmandam vel negandam affirmantur, & fœdera etiam priuata & publica, quæ non ſcribũtur: quale pactum fuit Antonii cum Cæſare de euertenda republica: Antonius cum Cæſare pactus eſt, vt rempublicam euerteret: hic igitur voluit euertere.

9 Octauius adoleſcens erit optimus ciuis: quia Cicero promittit eum talẽ fore. Ciceronis promiſſum eſt teſtimonium, & argumentum aſſumptum.

10 Cùm iubemus contradicentem experiri, videmur velle approbationem eius rei de qua agitur, ab eo impetrare velle: vt apud Terẽtiũ Parmeno cùm Thaidi laudare vult Chæream ſimulatũ Dorum Eunuchum, & à Phędria dono miſſum, ſentítque Thraſonẽ & Gnatonem vehementer inſtare, iubet vtrunque experiri, quid Dorus poſsit in literis, in palæſtra, in muſicis.

11 Iuſiurandum eſt affirmatio religioſa, & vinculum magnum ad aſtringendam fidem: veteres autem Ethnici iurabant per Iouem, cæteróſque deos & ſuperos & inferos: vt apud Virgilium AEneas per hos teſtatur ſe inuitum, & diuino iuſſu coactum Carthagine deceſsiſſe in Italiam: quæ affirmatio AEneæ adhibitis diis teſtibus iuſiurãdum eſt, & teſtimonium humanum aſſumptum ad hoc probandum,

Inuitus regina tuo de littore ceſsi.

12 Tria ſunt, ait Ariſtoteles ad Theodecten, quæ fidẽ faciunt, prudentia, virtus, beneuolentia: quæ ſi quis habeat, fide dignus apud ſuos auditores videbitur.

13 Cùm Polus iuuenis in Gorgia Platonis de beata vita diſputãs authoritate teſtium maximè niteretur, Socrates eum admonet, veritatem non ex teſte, ſed ex argumento ponderandam eſſe, vt ea diſputandi ratio ſit optima, cùm vnicus in cauſa fuerit aduerſarius ratione conuictus. Et in Critone, Ego, inquit, non ſolùm is ſum, ſed etiam ſemper fui, qui nemini meorum paream, niſi

rationi,quę mihi conſideranti videatur optima. Et rhetores dicunt argumenta eſſe propria indicia rerum, teſtimonia autem volũtatum, quibus nihil eſſe poſsit obſcurius & incertius. Et Cicero lib.1. de Natura deorum Pythagoreos irridet,qui in diſputãdo cùm ex his quæreretur,cur aliquid ita eſſet, reſpõdebant αὐτὸς ἔφα,ipſe dixit,ipſe autem erat Pythagoras: tãtum valuit opinio præiudicata,vt etiam ſine ratione valeret authoritas.

14 Teſtimonium humanum ſimplex, & nullo argumento inſito confirmatum, cæca & debilis probatio eſt:nec enim quia aliquid quis dixerit, idcirco verũ eſſe putandũ eſt:vt enim authoritas humani teſtimonii firma ſit,veritas eius aut argumẽtis inſitis, & rem propriè perſpicuéque declarantibus,aut teſtimoniis diuinis examinanda eſt.

15 Ariſtoteles capite ſecũdo libri primi ad Theodectẽn,Probationes,inquit,ſine arte appello, quæ non inueniuntur à nobis,ſed cùm extrà ſint, aſſumuntur: vt teſtes,tormẽta,ſcripta. Cicero in Partitionibus,Nec eò dicuntur ſine arte,quòd ita ſint, ſed quòd ea non pariat ars oratoris:ad ſe delata tamẽ tractat. Quintilianus capite primo libri quinti, probationes inartificiales vocat,quas extra dicendi rationem accipit orator: Ariſtoteles igitur & Ariſtotelem ſecuti Cicero & Quintilianus teſtimonia appellarunt ἄτεχνα, id eſt expertia artis,quòd orator ea non inueniat, ſed extrinſecus à litigatore aſſumat:nõ rectè quidem,neque verè:nam cauſæ,& effecta, & alia inſita argumenta plerunque à litigatore deferuntur ad oratorem, neque tamen teſtimonia ſunt, & oratores ipſi ſæpe vtuntur teſtimoniis philoſophorum,poetarum,iuriſperitorum,quę à litigatore ignaro & imperito ſuppeditari non poſſunt.

Quid Ariſtoteles de teſtimoniis?

In organo logico neque definitionem,neque diuiſionem eorum vſquam adhibuit, neque generatim de

his præcepit. Primo topico monet ad abũdantiam dialecticarum propoſitionum vidẽdas eſſe ſcriptas diſputationes: atque dialecticas ipſas quæſtiones, problema dico & propoſitionẽ, ex hominum teſtimoniis definit. Secũdo topico quintus locus eſt ab authoritate, vt conſideremus quæ oportet appellare, ſicut multi appellãt, & quę non: & pleraque ſimilia monita in dialecticis libris Ariſtotelis reperiuntur, quę nihil habent dialecticum, propterea quòd generalia, & ad communem de omnibus rebus diſſerẽdi vſum accommodata non ſint.

16 Peroratio de argumentis duas monitiones habet: vnam de generali delectu argumentorum ad hanc vel illam quæſtionem tractandam: non enim omnibus quæſtionibus omnia conueniunt: alteram de ratione diſtinguendi genera, quæ prius deſcriptã ſunt.

17 Et omnia quidem genera argumentorum ſunt expoſita: vt enim cogitationes hominum vnum in locum ſubducantur, quæ ſunt, fuerunt, erunt, nulla reperietur ratio ad explicandã rem propoſitam idonea, quę ſuperioribus generibus comprehenſa, diſtincta, definitáque non ſit, cauſis, effectis, ſubiectis, adiunctis, diſſentaneis, cõparatis, notatione, coniugatis, diuiſione, definitione, teſtimoniis: nec tamen ignorandũ eſt per multos alios locos inuẽtionis de partibus orationis, de generibus cauſarum, de ſtatibus à rhetoricis magiſtris eſſe traditos: ſed magnum eſt in perſcribenda arte vitium, cùm id quod paucis, & perſpicuis, & cõuenientibus generibus explicari poteſt, tam multis pręceptis, tam ſine cauſa frequenter iteratis cumulatur: adde etiam, quòd hæc multiplex & varia inuentionum doctrina moleſtiam & difficultatem non ſolùm diſcentibus, ſed etiam docentibus adfert: vt ſi præceptor aliquis explicandam orationẽ ſumpſerit, cùm alii ſint loci de generibus cauſarũ, alii de ſtatibus, alii de partibus orationis, alii præterea communes & generales, neſciat ipſe plerunque quos è tam multis ſequatur. Atque hic error deſcriben-

di peculiares inuentiones ex Ariſtotele primùm natus eſt,quem cùm Cicero in rhetoricis præceptis diu multúmque ſecutus eſſet, ſeipſum tamen aliquando collegit.Nam lib.2.de Oratore ſub perſona Antonii admonitus ab ipſo vſu, minutularum eiuſmodi ſectionũ ſubductiones agitat:Et in Topicis, quæ maturiore & perfectiore iudicio conſcripſit, doctrinam inueniendi argumenti non ſolùm dialectico,velut legitimo poſſeſſori tribuit,verùm etiam generales & cõmunes locos argumentorum expoſuit, qui ad omnem diſputationem accommodari poſſunt.

18 Præceptum de argumentis idoneis eligẽdis eſt apud Platonem in Timæo, Quoniam,inquit,in omni oratione cũ his rebus, de quibus agitur,naturalis quædam & germana debet eſſe cognatio,cùm de re ſtabili, & immutabili diſputatur, oratio talis ſit, qualis res illa, quæ neque redargui,neque cõuinci poteſt: cùm autem ingreſſa eſt efficta ſimulachra , bene agi putat,ſi veriſimilitudinem conſequatur.

19 Altera eſt admonitio de propoſitis & deſcriptis generibus argumentorum,quæ in eandem rem recidere poſſunt : ſola autem cogitationum, & rationum differentia inter ſe diſtinguuntur: poteſt enim res eadẽ modò eſſe cauſa,modò effectum,modò ſubiectum,modò adiunctum, modò aliud atque aliud argumẽtum: vt homo eſt cauſa boni & mali,& effectum Dei, & ſubiectum ſanitatis,aut morbi,& adiunctum terrę,& diſſentaneũ beſtiæ,& quippiam ſimile angelo:ſed variæ ſunt & diuerſæ rationes, cur homo ſit hoc, vel illud : & tractatio ipſa & accommodatio ad quæſtionem,ex quo genere argumentum fuerit,indicabit.

Quid Ariſtoteles de vniuerſa dialecticæ inuentionis doctrina?

Satis (vt opinor)ex his,quæ diximus, conſtat , dialecticæ inuentionis artem in Ariſtoteleo organo nul-

lam eſſe, ſed inertiſsimam confuſionem, in quâ nec inuentio definiatur, nec in certas partes diſtribuatur, ſed in fatuas & inutiles artes frãgatur prædicabilium, prædicamentorum, interpretationum, abundantiæ propoſitionum, inuentionis medii, analyticorũ poſteriorum, topicorũ, in quibus tam variis tenebris genera ipſa argumentorum (excepta vna contrariorum particula in contradictione ſimplici) nulla verè & dialecticè definiuntur: exempla verò nulla omnino inſignia ex claris authoribus traduntur: ita vt ad verum differendi vſum Ariſtotelea dialecticæ inuẽtionis doctrina traduci nullo modo poſsit: ac ſi quis nullum vnquam argumentum arte reperire cupiat, nihil aliud quàm Ariſtoteleos eiuſmodi de Inuentione libros legere debeat.

PETRI RAMI ELOquentiæ & Philoſophiæ profeſſoris Regii Inſtitutionum Dialecticarum

Liber ſecundus.

DISPOSITIO,[1] eſt apta rerum inuentarũ collocatio: [2] quæ ſanè pars doctrinæ ad memoriam etiã confirmandam plurimum valet, vt vna eadémque inſtitutio ſit duarum maximarum animi virtutum intelligentiæ & memoriç. Itaque cùm de diſpoſitionis arte dixero, de memoriæ quoque arte dixero: ſed hæc poſtea. 3 Dialecticæ diſpoſitionis genera duo ſunt, ſyllogiſmus & methodus. 4 Syllogiſmus eſt argumẽti cum quæſtione naturalis & firma collocatio: naturalem vſus exemplorum naturalium probabit. Etenim ſicuti cætera huius artis præcepta ex vſu cõmuni deducendus nobis eſt: & res hîc eſt facillima, 5 vt ſi de finibus agro-

rum arbiter conſtituatur imperitus agricola, paréſne ſint agri, an impares, nullã de re protinus ſententiam feret, decempeda, aut alia quauis regula prius vtrunque metietur, tum ſi rectæ normæ pariter ambo cõuenient, pares eſſe: ſin minus, impares iudicabit. 6 Regula tertio loco adhibita pro argumento eſt, cuius cum duobus agris, id eſt, rebus in quęſtione poſitis, diſpoſitione & accommodatione factum iudicium eſt. 7 Firmam verò collocationem perpetua in omnibus ſimilibus exẽplis conſtãtia probabit, ſi nulla quæſtio in ſimili genere diſpoſitionis, poſitis veris & conceſsis antecedentibus falſa concludetur: quales erunt omnes concluſionũ modi qui poſtea deſcribentur. Hîc igitur argumenti cũ quæſtione diſponẽdi leges & præcepta traduntur, quibus in cõcludendo obſecuti nũquam ex veris & conceſsis antecedentibus partibus falſum cõcludamus. Hæc pars eſt, quę iudiciũ propriè nominatur, quia ſyllogiſmus de omnibus rebus iudicãdi cõmunis regula ſit. 8 Latinè argumentatio & ratiocinatio dicitur. Argumentatio quia ſit argumenti (quemadmodum diximus) cum quæſtione collocatio. Ratiocinatio & ſyllogiſmus vna & eadem ratione appellatur: συλλογίζομαι enim, & ratiocinor idem va-

lent:& vtrũque à rationibus nummariis traductum videtur:vel hinc illuc eſt ſimilitudine tranſlatum: 9 quemadmodum enim boni ratiocinatores addendo, deducendóque vident quę reliqui ſumma fiat:ita dialectici partibus addẽdis & ſubducendis ſummã quandam rationis explicant. 10 Vt ſi Stoicum illud quæratur, An omne bonũ ſit honeſtum? & ex adiunctis argumentum ſumatur ad affirmandum quòd laudabile,argumento cum quæſtionis partibus addito diſpoſitóque cõcluſio breuiter ſic efficitur:

Omne laudabile eſt honeſtum:
Omne bonum eſt laudabile:
Omne igitur bonum eſt honeſtum.

Hoc conſectarium quarto de Finibus Cicero verbis iiſdem concluſit.[11] In quo exemplo videmus argumentũ additum cum vtraque parte quęſtionis,deinde facta velut ſumma concluſam eſſe quæſtionem.

1 Dialectici veteres ſecundã partem ſuæ artis κριτικὴν,id eſt,iudiciariam appellarunt à ſyllogiſmi regulis & præceptis,quibus de quæſtione propoſita iudicatur:quia illi de ſyllogiſmo ſolùm præcipiebãt: generalem methodi artẽ in arte dialectica non docebãt. Nos verò diſpoſitionem nominamus vocabulo plenioris & vberioris ſignificationis,quod nõ tantummodo ad ſyllogiſmum,ſed etiam ad methodum (quæ eſt pars huius dialecticæ doctrinæ) pertinet. Ac primùm diſpoſitio definitur collocatio rerum inuẽtarum non quælibet, &

cuiuſuis generis, ſed apta, & conueniens, & legitima, qualis ex præceptis ſyllogiſmi, & methodi intelligetur. Huic nomini duplex notio ſubiecta eſt: nam & diſpoſitio interdum dicitur ars aptè collocandi res inuentas, quæ traditur in regulis ſyllogiſmorum & methodi: interdum apta rerum collocatio, quæ fit ſecundum leges & præcepta eius artis: & id eſt commune omnium penè nominum, quæ in arte dialectica definiuntur, vt ſignificent tum præcepta, tum res arte & pręceptis tractatas & expreſſas.

2 Diſpoſitionis ars & doctrina propriè inſtruit intelligẽtiam hominis ſyllogiſmo & methodo: atque hic finis eſt præcipuus, ad quem huius artis præcepta referuntur, quæ tamen etiam memoriã maximè iuuare poſſunt: tãetſi hic ſcopus arti diſpoſitionis principalis minimè propoſitus eſt. Adiuuat autem diſpoſitio memoriam, quia ſi qua eſt ars memoriæ, ea potiſsimum cernitur in ordine vel ſyllogiſmi alicuius, vel methodi: nec vlla eſt ars vtilior, aut promptior ad facilè & expeditè ediſcendum, & memoria continendum quicquid velis, quàm hæc, quæ tota eſt ordinis & diſpoſitionis.

Quid Ariſtoteles de definitione diſpoſitionis?

Nihil: vt enim alia multa huius artis membra, ſic caput ipſum, id eſt definitionẽ ſummam, & primam non expreſsit.

3 Diſpoſitio dialectica genus eſt: ſyllogiſmus & methodus ſpecies duæ diſpoſitionis, quæ quomodo inter ſe differant, ex definitionibus perſpicuum deinceps erit. Syllogiſmus enim iudicium de re propoſita facit, quam veram aut falſam eſſe ſtatuit: methodus non facit tale iudicium, ſed rem iam æſtimatam & indubitatam facilius docet & explicat.

Quid Ariſtoteles de diuiſione dialecticæ diſpoſitionis?

Nihil.

4 Syllogiſmus ex vſu communi deducendus eſt:tota enim dialectica ars, & omnes eius partes ex obſeruatione naturalis vſus definiendę ſunt:& quemadmodum argumentorum ,ita ſyllogiſmorũ doctrina generalibus pręceptis,& naturæ congruẽtibus informãda nobis eſt.

5 Similitudo eſt geometrica ad explicandam vim & rationẽ ſyllogiſmi:protaſis ſumitur ex duobus geometriæ principiis : Quæcũque eidem tertio ſunt ęqualia,illa inter ſe ſunt æqualia:& quæ in aliquo tertio pariter non conueniunt,nec inter ſe pariter conueniunt. Quemadmodum igitur duorum agrorum æqualitas vel inæqualitas ęſtimatur per regulam vtrique applicatam, ſic quæſtionis veritas & falſitas per argumentum vtrique eius parti accommodatum iudicatur.

6 Redditio ſimilitudinis , vbi quæſtio comparatur agris, argumentum regulæ, qua vtimur ad metiendum, & ſyllogiſmus dimenſioni: qui tantum differt ab argumento,quantum regula aliqua à dimẽſione, quæ fit per regulam. Adde etiam,quòd argumẽtum poteſt eſſe firmum,vt tamen ſit infirmus ſyllogiſmus:vt,

Omnis homo eſt animal:
Omnis equus eſt animal:
Omnis igitur equus eſt homo.

Et argumẽtum interdum falſum eſt, ſyllogiſmus autem conſtans & legitimus:vt,

Omnis arbor eſt lapis:
Omnis homo eſt arbor:
Omnis igitur homo eſt lapis.

Quare argumentum & ſyllogiſmus non tantùm præceptis,ſed etiam re ipſa diſtingui poſſunt.

7 In ſyllogiſmi definitione duo tenenda ſunt:primũ,vt naturalis ea diſpoſitio ſit,& vſitata in naturali hominum vſu: hinc enim tota dialectica ars depromitur, & illuc refertur: deinde vt conſtans ſit & nunquam fallat:multa enim præcepta vera poſſunt eſſe miniméque fallacia , ſed inutilia . Hîc igitur & vſus vtilitas & veritatis conſtantia requiritur.

8 Etymologia nominum idem ſignificátium redditur: argumentatio dicitur ab argumétor, id eſt diſſero,& argumentum cum quæſtione rectè diſpono. Cicero in Partitionibus, Argumentationé,ait,quęrere videris, quæ eſt argumenti explicatio: ſed ea conficitur, cùm ſumpſeris aut nō dubia, aut probabilia, ex quibus efficias id quod aut dubiū eſt, aut minus probabile per ſe videtur. Ratiocinatio in dialecticis per metaphorá dicitur ſimilitudine ſumpta á ſupputationibus nummorum, vnde etiam ſyllogiſmi nomé traductum eſt: quia συλλογίζομαι propriè eſt cōputo, & metaphoricῶs diſſero, diſputo, arguḿetor, argumentū cum quęſtione diſpono, Ratiocinatio, inquit Cicero, eſt oratio ex ipſa re probabile aliquid eliciens, quod expoſitū & per ſe cognitum ſua vi & ratione cōfirmet. Fabius capite decimoquarto libri quinti vocat epicheræma: & capite decimo eiuſdem libri, Quidam, ait, epicheræma rationem appellarūt: Cicero melius ratiocinationé: quanquam & ille nomen hoc duxiſſe magis à ſyllogiſmo videtur.

9 Similitudo eſt ad explicandá etymologiam duorum nominū, ſyllogiſmi & ratiocinationis ab arithmeticis rationibus & ſupputationibus ducta: vt boni ratiocinatores addendo & deducendo reliqui ſummá faciunt: ſic dialectici cùm argumentum in propoſitione addiderint cum quæſtione, aut parte quæſtionis, & in aſſumptione idem argumentum de propoſitione ſubductum iterarint, ſummam quandá rationis explicant, & qualis ſit ipſa concluſio, iudicant.

10 Exemplum ad illuſtrandam ſecundam partem, id eſt apodoſin proximæ ſimilitudinis.

11 Fabrica ſyllogiſmi Stoici declaratur, in quo argumétum, *Laudabile*, primùm diſponitur cum maiore parte quęſtionis, quæ eſt, *Honeſtum:* deinde cū minore, quæ eſt, *Bonum*: tandémque ipſa quæſtio concluditur, Ergo omne bonum eſt honeſtum.

Quid Ariſtoteles de definitione ſyllogiſmi?

Syllogiſmus,inquit, eſt oratio, in qua quibuſdā poſitis aliquid diuerſum à poſitis ex neceſsitate accidit, quia hæc ita poſita ſint: quæ definitio obſcurè tradita eſt, nec ſyllogiſini naturam perſpicuè declarat,quæ eſt argumenti cum quæſtione diſpoſitio: nec ſyllogiſmi videtur eſſe propria: quia quibuſdam poſitis aliquid poteſt neceſſariò ſequi, eò quòd hæc ita ſint, neque tamē ſyllogiſmus eſt: vt,

Venti incubuere mari,
Crebris micat ignibus æther,
Denſi funduntur ab æthere nimbi,
Ergo tempeſtas eſt.

Ex his antecedentibus cauſis ita poſitis neceſſariò tempeſtas efficitur: neque tamen ſyllogiſmus eſt: niſi fortè per hæc verba Ariſtotelei propoſitionē & aſſumptionem legitimè diſpoſitas intelligant: quod tamen Ariſtotelis definitio non indicat apertè, vt multos fallere, & in errorē inducere poſsit,qui ex hac definitione falſas quaſdam ratiocinationes veras & conſtantes protinus eſſe iudicent.

1 Syllogiſmi autem diuiſio duplex eſt: diuiditur enim primùm in mēbra quædā quibus componitur, Propoſitionē, Aſſumptionem, Complexionem. 2 Propoſitio, eſt prima pars ſyllogiſmi, in qua diſponitur argumētum cum maiore vel vtroque ſimul quæſtionis extremo, vt in exemplo propoſiti ſyllogiſmi:

Omne laudabile eſt honeſtum.

Vbi cum maiore parte quęſtionis (*honeſtum*) argumentum (*laudabile*) diſpoſitum collocatúmque eſt. 3 Aſſumptio, ſecūda pars

eſt ſyllogiſmi in qua diſponitur argumentũ cum minore quæſtionis extremo: aut ſolùm repetitur: vt,

Omne bonum eſt laudabile.

Vbi argumentum (*laudabile*) cum minore extremo quæſtionis (*bonum*) ordinatum eſt. 4 Complexio, eſt vltima pars ſyllogiſmi, vbi quæſtionis partes denuò cõiungũtur: vt,

Omne igitur bonum eſt honeſtum.

Quæſtio enim erat (*An omne bonum eſſet honeſtum*) quæ ſuis partibus tandem redintegrata & concluſa eſt. 5 Concluſio aliquando totam ratiocinationem ſignificat, non complexionem ſolam: & Cicero propriè hãc poſtremam partem complexionem nominat.

1 Syllogiſmus prima diuiſione diuiditur vt totum integrum in membra conficientia, Propoſitionem, aſſumptionem, & complexionem. Cicero in veteri rhetorico quinque partes ratiocinationis eſſe defendit, vt prima ſit propoſitio, deinde eius ratio, tum aſſumptio, quarta eius approbatio, quinta cõplexio: à quo diſſentit Quintilianus capite decimoquarto libri quinti, Mihi, inquit, & plurimis nihilominus authoribus tres ſolummodo videtur: nam ita ſe haberet iſta natura, vt ſit de quo quæratur, & per quod probetur: tertiũ adiici poteſt velut ex conſenſu duorum antecedentium: ita prima erit intentio, ſecunda aſſumptio, tertia complexio. Nam confirmatio primæ partis, & ſecundæ exornatio iiſdem cedere poſſunt, quibus ſubiiciuntur: quæ diſtinctio apud Fabium numero quidem partiũ vera eſt: ſunt enim tres tãtũ ſyllogiſmi partes: ſed definitione & pro-

bationе falſa: Intentio enim & complexio vna & eadē pars eſt:nec aliud eſt intentio,quàm propoſita quæſtio,quæ ſubducta ratione concluditur:& aſſumptionis nomine propoſitio & aſſumptio confunduntur.

2 Propoſitio in dialecticis & rhetoricis præceptis duplex eſt:aut enim dicitur intentio rei,de qua agitur, ſeu propoſita quæſtio:vt libro tertio de Oratore,propoſitio quid dicturus ſis:atque hæc propoſitio prima pars ſyllogiſmi non eſt,ſed ſi concludatur,tertia : aliâs propoſitio dicitur prima pars ſyllogiſmi non ordine quidem ſemper,vt ex philoſophorum & oratorum diſputationibus conſtat,in quibus propoſitio interdum ſecundum,interdum vltimum locum occupat:ſed tamen cùm iudiciū de re propoſita facere volumus, tum propoſitio primo loco ponenda & conſideranda nobis eſt, in qua argumentū primum diſponitur,aut cum maiore parte quæſtionis,vt in ſyllogiſmis ſimplicibus:aut cum tota quæſtione,vt in coniunctis.

3 Aſſumptio ſic appellatur, quia ſemper aliquid propoſitionis in aſſumptione repetitur,videlicet ipſum argumentum,quod interdū cum minore quęſtionis extremo diſponitur, vt in ſyllogiſmis ſimplicibus:interdum verò ſolum & per ſe repetitur,vt in multis cōiunctis. quod poſtremum idcirco fit, quia in propoſitione non cum aliqua parte quæſtionis tantùm,ſed cum tota quæſtione diſponitur. Cicero in veteri rhetorico, Aſſumptio,inquit,eſt particula orationis,per quā id quod ex propoſitione ad oſtendendum pertinet, aſſumitur. Et libro ſecundo de Diuinatione,Iam aſſumptione nō conceſſa nulla concluſio eſt.

4 Poſtrema pars ſyllogiſmi tribus nominibus appellatur,concluſio,quia ſyllogiſmum concludit,& terminat:& connexio,cōplexióque, quia partes quæſtionis in propoſitione & aſſumptione diſſolutas, & cum argumento diſsipatas demum connectit & complectitur. Cicero libro primo de Diuinatione, Complexio,

inquit, ex propoſitione & aſſumptione cõficitur. Fabius lib. 5. tum complexionem, tum connexionem vocat.

5 Concluſio interdũ pro tota argumentatione ſumitur. Cicero in Lucullo. Hæc cõcluſio quam vim habeat, conſidera. Et primo libro de Diuinatione, Cõcluſio autem rationis ea probatur, in qua ex rebus non dubiis id quod dubitatur, efficitur.

Quid Ariſtoteles de prima ſyllogiſmi partitione?

In ſyllogiſmorum figuris & modis paſsim præcipit, vt tria extrema diſponantur, medium, maius, & minus: & capite viceſimoſexto libri primi priorũ Analyticorum, Tria, inquit, ſunt extrema, & propoſitiones duæ: niſi aliquid, vt antè dictum eſt, ad ſyllogiſmorum perfectionem ſumatur. Et ibidẽ, capite viceſimonono, Perſpicuum eſt, inquit, per rria extrema, & duas propoſitiones hanc cõſiderationem fieri: ſed tamen Ariſtoteles non ſatis apertè partitionem oſtendit: nec eo loco, quo debuit, appoſuit: debuit enim ſyllogiſmus ſtatim poſt definitionẽ in tres partes diuidi, propoſitionem, aſſumptionem, & complexionẽ. quod Ariſtoteles non fecit: ac tantum abeſt, vt generatim definierit, quid ſit propoſitio, quid aſſumptio, quid complexio, vt ne ſuis quidem nominibus diſtinxerit: hoc enim tantùm confuſe docet ſyllogiſmum ex duabus propoſitionibus conſtare, vnde maius extremum de minore cõcluditur, vbi vno propoſitionis nomine duas primas partes ſyllogiſmi indiſtinctè confundit.

1 Secundo loco ſyllogiſmus in ſimplicem & coniunctum diuiditur. 2 Simplex qui conſtat ex ſimplici diſpoſitione argumẽti. Vt in propoſito exemplo argumentum (*laudabile*) nõ cum vtraque quæſtionis parte ſimul col-

locatur, ſed ſeparatim cum ſingulis: 3 hîc nihil intereſt, an coniuncta ſit enũtiatio, modò diſpoſitio permaneat eadem: vt ſi dicas,

Quicquid eſt laudabile, id eſt honeſtum:
Quicquid eſt bonum, eſt laudabile:
Quicquid eſt igitur bonum, eſt honeſtum.

Partes ſyllogiſmi non ſunt enuntiationes ſimplices, vt in priore ſyllogiſmo, ſed coniunctæ: relatæ enim ſunt: diſpoſitio tamen prorſus eadem eſt ſuperiori: quod etiam copulatorum pronuntiatorum commune eſt. Quamobrẽ quoniam ſyllogiſmus certa diſpoſitio eſt argumenti, quæ in ſimplicibus enuntiatis, & in relatis copulatíſque nullo pacto mutatur, ſed ſimplex & vniuſmodi permanet, ſyllogiſmos tales, ſimplices propter ſimplicem argumenti diſpoſitionem nominabimus.

1 Syllogiſmus ſecunda diuiſione diuiditur vt totũ vniuerſale in duas ſpecies, ſyllogiſmum ſimplicem & coniunctum: quæ à Boetio nominantur ſyllogiſmus categoricus, & hypotheticus, vocabulis quidem à Theophraſto & Eudemo acceptis, ſed eorum ſignificatione parum apta & conueniente diuiſioni: quia ſpecies ſyllogiſmi non ex partibus, aut partium adiunctis, ſed ex diſpoſitionis genere potius notandæ & diſtinguendæ ſunt.

2 Syllogiſmus ſimplex definitur, in quo argumentum cum partib⁹ queſtionis ſeparatim diſponitur, cum maiore parte, in propoſitione, & cum minore, in aſſumptione: vt,

Omne vitium eſt fugiendum:
Omnis auaritia eſt vitium:
Omnis igitur auaritia eſt fugienda.

In quo exemplo argumentum (Vitium) ſeparatim diſponitur cum maiore extremo quæſtionis, quod eſt (Fugiendum) & cum minore, quod eſt (Auaritia.)

3 Syllogiſmus ſimplex non dicitur à ſimplicibus enuntiatis (ſicut paulò antè monuimus) quia tam ex multiplicibus, quàm ex ſimplicibus enuntiatis fieri poteſt, Relatis: vt,

Quicquid eſt laudabile, id eſt honeſtum:
Quicquid eſt bonum, eſt laudabile:
Quicquid eſt igitur bonum, eſt honeſtum.

Copulatis: vt,

Omnes ingenui homines virtutem ſequuntur, & laudem virtutis præmium aſſequuntur:
Omnes qui ſe ad rempublicam conferunt, & qui ſe philoſophiæ dedunt, ſunt ingenui homines:
Omnes igitur qui ſe ad rempublicam conferunt, & philoſophiæ dedũt, virtutem ſequũtur, & laudem virtutis præmium conſequuntur.

Ex connexis, aut ſaltem parte connexa: vt,

Si quid homo eſt, animal eſt:
Socrates homo eſt:
Socrates igitur animal eſt.

Ex diſiunctis, aut parte diſiuncta: vt,

Omnis enuntiatio eſt vera, aut falſa:
Aliqua oratio eſt enuntiatio:
Aliqua igitur oratio eſt vera, vel falſa.

Quid Ariſtoteles de ſecunda ſyllogiſmi diuiſione?

Nihil, & quid mirum ſi nihil? cùm ſyllogiſmorum artem nõ dico confuſam ſolùm, ſed etiam imperfectam & mãcam reliquerit? Nullum enim in dialectici organi libris de coniunctorũ ſyllogiſmorũ generibus & mo-

dis præceptum eſt:quam doctrinam Theophraſtus & Eudemus poſtea docuerunt,& Stoici multis præceptis amplificarunt. Quòd autem primo topico ſyllogiſmum partitur in dialecticum,demonſtratiuum,litigioſum,& paralogiſmum,ex inuentionis potius quàm diſpoſitionis natura & ratione ſyllogiſmum partitur:id enim accidit argumento,vt probabile,aut neceſſarium,aut captioſum,falláxque dicatur:nec quicquam horum pertinet ad ſyllogiſmum, niſi ratione arguméti.In artibus autem tradendis leuiſsima eſt partitio, quæ non fit ex cauſis,aut effectis rei propoſitæ, ſed ex adiunctis partium,& his quidem remotiſsimis:qualia ſunt probabilitas,neceſsitas,captio,falſitas,quæ ſunt adiuncta propoſitionis & aſſumptionis:& hinc ad ſyllogiſmum traducuntur.

1 Simplicium ſyllogiſmorum genera tria ſunt. In primo argumētum maiorem partem quæſtionis antecedit, minorem cōſequitur. Cuius generis concluſionū quatuor modi affirmationis & negationis generalis, aut ſpecialis differentia diſtinguuntur.

PRIMVS MODVS

2 Primus modus vſquequaque vniuerſus & affirmatus:

Quicquid eſt iuſtum,idem eſt vtile:
Quicquid eſt honeſtum, idem eſt iuſtum:
Quicquid igitur eſt honeſtū,idē eſt vtile.

„ Quod ita conclusit Cicero, Summa qui- *offic.2.*
„ dem authoritate philoſophi ſeuerè ſanè at-
„ que honeſtè hæc tria genera confuſa, cogita-

„ tione diſtinguũt. Quicquid enim iuſtum ſit, „ id etiam vtile eſſe cẽſent. Itémque quod ho- „ neſtum, idem iuſtũ. Ex quo efficitur, vt quic- „ quid honeſtũ ſit, idem ſit vtile. Ouidius aliter, ſed breuius cõcluſit, cùm quæreret à Iano, quare annus à bruma inciperet,

Faſt.1. 3 *Quæſieram multũ, non multis ille moratus*
Contulit in verſus ſic ſua verba duos:
Bruma noui prima eſt, veteriſq́ nouiſsima ſolis,
Principium capiunt Phœbus & annus idem.

Complexio ex quęſtione intelligitur: Aſſumptio ſecũdo loco eſt: Propoſitio vltimo:

Principium Phœbi, eſt anni principium:
Bruma eſt principium Phœbi:
Bruma igitur eſt anni principium.

Item,

Omnia quæ ſecundum naturam ſunt, habẽda ſunt in bonis:
Senibus emori ſecundum naturam eſt:
Senibus igitur emori bonum.

De Senect. 4 Sic Cato concludit apud Ciceronem, „ Omnia verò, ait, quæ ſecundum naturam „ fiunt, ſunt habẽda in bonis. Quid eſt autem „ tam ſecundum naturam, quàm ſenibus emo- „ ri? quod idem contingit adoleſcentibus ad- „ uerſante & repugnante natura. Itaque ado- „ leſcentes mori ſic mihi vidẽtur, vt cùm aquæ „ multitudine vis flammæ opprimitur: ſenes

„ autem ſic vt ſua ſponte nulla adhibita vi con„ ſumptus ignis extinguitur. 5 Syllogiſmos verò breues & ſtrictim ad artis legem concluſos perrarò in poetis & oratoribus, atque etiam in philoſophis, & omnino in hominum nõ ineptorum & imperitorum ſermonibus inuenies: 6 ſed vſus ſequendus nobis tamen eſt, & ſententiæ ad diſpoſitionem doctrinæ referendæ ſunt: ridiculam enim faciemus artem, ſi ſtatuemus nullum eſſe hominum ſtabile iudicium, niſi quod 7 tribus verbis fuerit expreſſum: ſententia ponderanda eſt, non numeranda verba ſunt. Et quemadmodum naturalis iudicii ſedes non in lingua & manu, ſed in animo & mente collocatur: ſic artificioſi iudicii ratio non ex verbis, quæ promuntur voce aut ſcripto, ſed ex orationis intimo ſenſu habenda eſt.

SECVNDVS modus.

8 Secundus modus vſquequaque vniuerſus, ſed aſſumptione duntaxat affirmatus:

9 Nihil quod miſeri poſſeſſoris eſſe poßit, bonũ eſt:
Omnia fortunæ commoda miſeri poſſeſſoris eſſe poſſunt:
Nulla igitur fortunæ commoda bona ſunt.

„ 10 Cic. Non ſunt igitur ea bona dicenda, *Tuſcu.5.*

,, nec habenda, quibus abundantem licet eſſe
,, miſerrimum. An dubitas quin præſtans va-
,, letudine, viribus, forma, acerrimis, integer-
,, rimíſque ſenſibus, adde etiam, ſi lubet, per-
,, nicitatem & velocitatem: da diuitias, hono-
,, res, imperia, opes, gloriã: ſi fuerit is, qui hæc
,, habet, iniuſtus, timidus, hebeti ingenio at-
,, que nullo, dubitabíſne eum miſerum dicere?
,, Qualia igitur iſta bona ſunt, quę qui habeat,
,, miſerrimus eſſe poſsit? Horatius,

1. Epiſt. 11 *Quo melior ſeruo, quo liberior ſit auarus,*
In triuiis fixum cùm ſe demittit ob aſſem,
Non video: nam qui cupiet, metuet quoque: porrò
Qui metuens viuit, liber mihi non erit vnquam.

Breuius ita facies:

Nemo timidus eſt liber:
Omnis auarus eſt timidus:
Nullus auarus igitur eſt liber.

Auarum & cupidum pro eodem hîc intelligit: & ſic Terẽtiana illa de regendo amore conſultatio concluditur:

In Eunuc. 12 *Here quæ res in ſe neque cõſilium, neque modũ*
Habet vllum, eam conſilio regere non potes.
In amore hæc omnia inſunt vitia, iniuriæ,
Suſpiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rurſum. incerta hæc ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quàm ſi des operam, vt cum ratione inſanias.

Hæc ſententia breuius ita concluditur:
Nulla res conſilio, modóque deſtituta, conſilio regi poteſt:
Omnis amor eſt conſilio, modóque deſtitutus:
Nullus igitur amor conſilio regi poteſt.

13 Reliqui modi ſpeciales ſunt ex aſſumptione & complexione ſpecialibus.

TERTIVS MODVS.

41 Tertius modus affirmatus vſquequaque, ſed propoſitione tantùm vniuerſus.
Omnes COSS. virtutis cõmendatione facti, rempublicam maximè tueri debent:
Quidam ſunt COSS. virtutis commendatione facti:
Quidam igitur rempublicã maximè tueri debẽt.

15 Nihil autem refert pro ſpeciali propriũ enuntiatum ponere.
Omnes COSS. virtutis cõmendatione facti, rempublicam maximè tueri debent:
Cicero eſt conſul, virtutis commendatione factus:
Cicero igitur rempublicam acerrimè tueri debet.

,, 16 Sic de ſe Cicero, Nam cùm omniũ con *Agra. 2.*
,, ſulum grauis in republica cuſtodiendà cura
,, ac diligentia debet eſſe, tum eorum maximè
,, qui non in incunabulis, ſed in cãpo ſunt con
,, ſules facti. 17 Nulli populo Romano pro me
,, maiores mei ſpoponderunt, mihi creditum

„ eſt:à me petere quod debeo,meipſum appel-
„ lare debetis:quemadmodum cùm petebam,
„ nulli me vobis authores generis mei com-
„ mendarunt : ſic ſiquid deliquero,nullæ ſunt
„ imagines,quæ me à vobis deprecentur.
„ 18 Quare modò vt vita ſuppetat, (quãquam
„ ego ſum is,qui eam poſsim ab iſtorũ ſcele-
„ re inſidiiſque defendere) polliceor hoc vo-
„ bis,Quirites,bona fide, rempublicam vigi-
„ lanti homini,non timido,diligenti,nõ igna-
„ uo commiſiſtis.Sic Ouidius breuiter,

Faſt.1. 19 *Proſpera lux oritur:linguiſq́,animíſque fauete:*
Nam dicenda bono ſunt bona verba die.

Aſſumptio prima eſt,cõplexio ſecunda,pro-
poſitio poſtrema:

Bene ſibi conſcius aduerſam fortunam fortiter fer-
re debet:
Euander eſt ſibi bene conſcius:
Euander igitur fortunam ferre fortiter debet.

Sic Ouidius,

Faſt.1. 20 *Cui genitrix flenti,fortuna viriliter,inquit,*
Siſte puer lachrimas,iſta ferenda tibi eſt.
Sic erat in fatis,nec te tua culpa fugauit,
Sed Deus,offenſo pulſus es vrbe Deo.
Nec meriti pœnam pateris,ſed numinis iram:
Eſt aliquid magnis crimen abeſſe malis.
Conſcia mens vt cuique ſua eſt,ita concipit intra
Pectora pro facto ſpémque metúmque ſuo.

[21] QVARTVS MODVS.

Quartus modus ſola & propoſitione vniuerſus, & aſſumptione affirmatus:

Nemo ſobrius ſaltat:
Murena eſt ſobrius:
Murena igitur non ſaltat.

Locus eſt in defenſione Murenæ, vbi ſaltatorem appellauerat Lucium Murenam Cato, [22] Quare cùm iſta ſis authoritate, nõ debes M. Cato, arripere maledictum ex triuio, aut ex ſcurrarum aliquo conuitio, neque temerè conſulem P. Romani ſaltatorem vocare: ſed conſpicere quibus præterea vitiis affectũ eſſe neceſſe ſit eum, cui verè iſtud obiici poſsit. [23] Nemo enim ferè ſaltat ſobrius, niſi fortè inſanit: neque in ſolitudine, neque in cõuiuio moderato atque honeſto: intempeſtiui conuiuii, amœni loci, multarum deliciarũ comes eſt extrema ſaltatio. [24] Tu mihi arripis id quod neceſſe eſt omnium vitiorum eſſe poſtremũ: relinquis illa, quibus remotis, hoc vitium omnino eſſe non poteſt. Nullum turpe conuiuiũ, non amor, non comeſſatio, non libido, non ſumptus oſtenditur: [25] & cùm ea non reperiantur, quæ voluptatis nomen habent, quæque vitioſa ſunt, in quo ipſam luxuriam reperire nõ potes, in eo te vmbram luxuriæ reperturum putas?

Nullus amantis puellæ deceptor eſt laudandus:
Demophoon eſt Phillidis puellæ deceptor:
Demophoon igitur non eſt laudandus.

Ouidius duobus diſtichis idem concluſit:

In epiſt. Phillidis. 26 *Fallere credentem non eſt operoſa puellam*
Gloria: ſimplicitas digna fauore fuit.
Sum decepta tuis & amans & fœmina verbis:
Dij faciant, laudis ſumma ſit iſta tuæ.

1 Diuiſio ſimplicium ſyllogiſmorum in tres ſpecies ex triplici ſimplicis diſpoſitionis varietate ſumitur: nam ſi argumentum maiorem partem quæſtionis antecedit, & minorē ſequitur, prima ſpecies eſt ſyllogiſmi ſimplicis: vt,

Quod ſemper mouetur, æternum eſt:
Animus ſemper mouetur:
Animus igitur eſt æternus.

Sin argumētum vtranque partem quæſtionis ſequitur, ſecunda ſpecies eſt: vt,

Nullum vitium eſt expetendum:
Omnis virtus eſt expetenda:
Nulla igitur virtus eſt vitium.

Si verò vtranque partem quæſtionis antecedit, tertia ſpecies appellatur: vt,

Omnis auarus eſt inſatiabilis:
Omnis auarus eſt iniuſtus:
Aliquis igitur iniuſtus eſt inſatiabilis.

Quid Ariſtoteles de arte & diuiſione ſimplicium ſyllogiſmorum?

Ariſtoteles in Elenchorum peroratione huius artis inuentionem ſibi vendicat, De rhetoricis quidem, inquit, multa, & antiqua dicta erant. De ſyllogiſmis verò nihil prorſus habuimus quod diceremus, antè quàm in

hac propoſita exercitatione diu multúmque elaborauimus: quod quidem de ſimplicibus ſyllogiſmis duntaxat verum eſt: nihil enim de coniũctis Ariſtoteles ſcripſerat. In Analyticis prioribus hæc tria ſimplicium genera σχήματα, id eſt figuras appellauit appellatione magis geometrica, quàm dialectica: genera enim lineamentorum, vt circulus, triangulum, quadratum, figuræ propriè nominãtur: quia figura eorum genus eſt. Figura autem non minus ineptè genus ſyllogiſmorum dicitur, quàm animalium aut ſtirpium.

2 Primus modus primi generis vt ordine, ita dignitate reliquorum princeps eſt: & vt iudicii naturalis luce clariſsimus, ita ad docendum maximè accommodatus, & philoſophis quàm oratoribus vſitatior: quòd illi theſes ſibi proponunt, & veritatem rerum diligentius intuentur: hi quæſtiones ſpeciales tractant, & ſatis habent, ſi in dicẽdo probabilitatem quandam ſequuntur. Multum igitur hic primus modus diſpoſitionis ad doctrinæ ſcientiam valet, & ad cognoſcendum quid ſit, de quo agitur: quia ſententias generales & affirmatas habet: in quo tamen complexio interdum ſpecialis eſſe poterit: quia ſi quid affirmatur in genere, idem poteſt in ſpecie affirmari: vt,

Omne iuſtum eſt vtile:
Omne honeſtum eſt iuſtum: quia concludimus,
Omne igitur honeſtum eſt vtile,

Licebit etiam nobis concludere:

Aliquod igitur honeſtum eſt vtile.

Nec appellatur hic modus vſquequaq; vniuerſus, quòd eius partes omnes re ipſa ſint vniuerſæ, ſed quòd eſſe poſsint: antecedẽtes tamen duas vniuerſas ſemper eſſe oportebit in hoc primo modo.

3 Ianus diſputat de principio anni à cauſa efficiẽte: ſolis enim motus cauſa & mẽſura eſt temporis. atque in hoc exẽplo partes ſyllogiſmi generales & vniuerſæ ſunt, licet in his nulla particula generalis cernatur: &

id vſitatiſsimum eſt cùm aliâs ſæpe, tum in diſciplinis, vt detractis de oratione ſignis vniuerſalibus, ſententiæ tamen nihilominus generaliter & vniuerſè cõcipiantur: vt, Virtus eſt colenda, idem valet, ac ſi dixeris, Omnis virtus eſt colenda.

4 Cato diſſerit mortem ſenibus eſſe bonum, argumento ab adiunctis mortis, quòd ſenibus naturalis ſit. Propoſitio prima eſt: aſſumptio ſecunda, quæ declaratur comparatione diſsimilium. Complexio autem intelligitur ex quæſtione.

5 Syllogiſmos breues, & aſtrictos, & omnino ſecundum artem diſpoſitos, & nudos, & ſimplices vix doctorum & eruditorum hominum ſermo patitur. Nam & ſingulæ partes ſyllogiſmi perſæpe exornantur aliis argumentis, vt clariores & euidétiores ad iudicandum de concluſione nobis appareant: & earum partium ordo plerũque immutatur, vt ipſa varietate gratior & iucundior ſit oratio: & partium ipſarum aliqua interdum prætermittitur: quam aut propter perſpicuitatem non eſt neceſſe addere, aut de induſtria licet prætermittere, ne dialecticam artem nimis oſtentare velle videamur. Perrarò igitur apud philoſophos, oratores, poetas, ſyllogiſmi nudi, & tribus quaſi verſiculis ſtrictim, & breuiter concluſi reperiuntur: quia illi argumentum dilatare, & rem de qua agitur, ornatè & magnificè exprimere volũt, & cum philoſophia eloquentiam coniungunt: exceptis tamen Stoicis aridis, & ieiunis philoſophis, qui detracto omni ornatu & ſplendore dicédi breues iſtas minutarum concluſionum formulas conſectabantur.

6 Cùm volumus de ſcriptis & orationibus tum noſtris tum alienis prudéter & accuratè iudicare, ſi ſyllogiſmus perfectus nõ ſit, addito eo quod deeſt: aut ſi longiore diſputatione productus, detractis amplificationibus contrahẽdus eſt, & in breuiorem ſummam conferendus: ſententiáque ſyllogiſmi non in verbis, ſed in

rebus, quæ dicuntur, ſpectanda nobis eſt: vt ſi locum illum Ciceronis examinare velis, qui eſt Philippica ſecunda, A me Cæſar pecuniam? cur potius, quàm ego ab illo? an ille ſine me vicit? an ne potuit quidé? ego ad illũ belli ciuilis cauſam attuli, ego leges pernicioſas rogaui, ego arma contra conſules imperatorés que populi Romani, cõtra ſenatum populúmque Romanum, contra deos patrios, aráſque & focos, contra patriam tuli: num ſibi ſoli vicit? Quorum facinus commune, cur non & præda communis? In hoc exemplo ſi ſentẽtiam orationis ſpectes, ſyllogiſmum perfectum omnibus partibus inuenies: cuius cõcluſio præcedit: aſſumptio ſequitur, Antonii factis illuſtrata: propoſitio vltima eſt: quem ſyllogiſmum ſic ad artis legem reuocare poteris.

Quorum facinus eſt commune, eorum præda debet eſſe communis:
Antonij & Cæſaris in bello ciuili facinus eſt commune:
Antonij igitur & Cæſaris in bello ciuili præda debet eſſe communis.

7 Cuiuſmodi ſunt homo, animal, ſubſtãtia: ex quibus ſyllogiſmi apud Ariſtotelem conſtruuntur: vt,

Omne animal eſt ſubſtantia:
Omnis homo eſt animal:
Omnis igitur homo eſt ſubſtantia.

Quales ſyllogiſmi tam preſſe & limatè ex tribus verbis compoſiti in bonis authoribus perrarò inueniuntur.

8 Secundus modus vniuerſitate par eſt ſuperiori, ſed luce doctrinæ impar: primus enim concludit affirmatè quid ſit, ſecundus quid non ſit. Clarius autem eſt oſtẽdere quid ſit, quàm quid non ſit. Vſum tamen ſuperiori parem obtinet, præſertim in diſputationibus philoſophorum, cùm aliquid refellunt & redarguunt: vbi quæſtiones generales negatè concluduntur. Hîc etiam complexio poteſt eſſe ſpecialis ob eam cauſam, quam

paulò antè in primo modo docuimus.

9 Notandum eſt in quibuſdam relatis enuntiationibus ſentētiam ſimplicis enuntiationis negatæ intelligi:vt,Nihil quod miſeri poſſeſſoris eſſe poſsit,bonum eſt,tantum valet,ac ſi dicas,Nihil miſeri poſſeſſoris bonum eſt.

10 Paradoxū eſt Stoicum,quòd nulla corporis aut fortunę cōmoda ſint bona:quod probatur à repugnantibus. Propoſitio prima eſt: aſſumptio ſecunda, quæ illuſtratur enumeratione partium : concluſio vltima , in qua argumentum repetitur maioris intelligētiæ gratia.

11 Horàtius Stoicè diſputat nullum auarum eſſe liberum,à repugnantibus.Complexio primo loco ponitur,aſſumptio ſecundo,propoſitio vltimo.

12 Parmeno ſeruus docet nullum amorem conſilio regi poſſe:argumentū eſt ab adiunctis amoris,quòd ſit cæcus,& expers conſilii:Propoſitio præcedit,aſſumptio incipit in verſu,

In amore hæc omnia inſunt vitia:

quæ declaratur adiūctis amoris . Complexio ad extremum eſt,quæ augetur comparatione parium.

13 Tertius & quartus modi tanto ſuperioribus vſitatiores ſunt , quanto frequētius homines de rebus ſingulis & ſpecialibus, quàm de communibus & vniuerſis diſſerunt:& quemadmodum duo ſuperiores modi præcipuè conueniunt philoſophis theſes tractantibus : ita hi duo qui ſequuntur,ferè poetarum ſunt, & oratorum, qui frequentiſsimè ſibi quæſtiones finitas & ſingulares ad diſſerendum proponunt.

14 Tertius modus à primo quaſi deductus eſſe videtur,vt quicquid illic generaliter & affirmatè concluditur, hîc ſpecialiter & affirmatè concludatur : vt quod in genere probatū eſt, probetur ſimiliter in ſpecie.Itaque aſſumptio & complexio quæ illic generales erant, hîc in ſpeciales mutandæ ſunt:vt,

Omne iuſtum eſt vtile:

Aliquod honeſtum eſt iuſtum:
Aliquod igitur honeſtum eſt vtile.

15 Nihil intereſt ad hanc rationem diſpoſitionis pro ſpeciali proprium enuntiatum ponere, qui modus ratiocinandi (ſicut dictum eſt) apud poetas & oratores vſitatiſsimus eſt, quòd in quæſtionibus finitis & propriis omnis eorum verſetur oratio: vt,

Magna laus eſt ſcientiam multis vtilem didiciſſe:
Sulpitius ſcientiam iuris multis vtilem didicit:
Sulpitio igitur magna laus eſt. Et,
Omnes poetæ ſunt ornandi:
Archias eſt poeta:
Archias igitur eſt ornandus.

Qui ſyllogiſmi licet his breuibus conſectariis apud Ciceronem comprehenſi non ſint, toto tamen ſententiarum pōdere ſic æſtimari debent. Martialis breuiter hoc modo concludit,

Carmina Paulus emit, recitat ſua carmina Paulus:
Nam quod emas, poßis dicere iure tuum.

Aſſumptio prima eſt, concluſio ſecunda, propoſitio tertia. Et Ouidius in epiſtola Phyllidis,

Speraui melius, quia te meruiſſe putaui:
Quæcunque ex merito ſpes venit, æqua venit.

16 Cicero pollicetur ſe diligentem fore in tuenda republica. Argumentum ab adiunctis, quia virtutis gratia conſul factus ſit. Propoſitio ſyllogiſmi præcedit, cui duplex collatio miſcetur, vna minorum, altera diſsimilium.

17 Aſſumptio ſyllogiſmi exornatur à diſsimilibus: Non ſum factus conſul commēdatione maiorum meorum, ſed virtutis.

18 Complexio ſyllogiſmi augetur adiunctis perſonæ diſsimilitudine quadam collatis.

19 Adhortatio eſt ad bene & fauſtè comprecandum Calendis Ianuarii: argumentum ab adiunctis diei ita concluditur:

Bonus dies bona verba deſiderat:
Prima lux Ianuarij eſt bonus dies:
Prima igitur lux Ianuarij bona verba deſiderat.

20 Carmenta monet Euandrum filium, vt aduerſam exilii fortunam æquo animo ferat, ab adiũctis animi, id eſt bona conſcientia. Complexio primum locum obtinet: aſſumptio ſecundum, quę declaratur à diſsimilibus: propoſitio tertium.

21 Quartus modus primi generis videtur à ſecundo proficiſci, ſicut tertius à primo, aſſumptione & complexione generalibus in ſpeciales mutatis. Itaque quod ſecundo modo concluditur generaliter, ſpecialiter hîc concludi poteſt: vt,

Nullus timidus eſt liber:
Aliquis auarus eſt timidus:
Aliquis igitur auarus non eſt liber.

Nec quicquam intereſt enuntiatum proprium pro ſpeciali ponere: vt apud Martialem,

Eſſe quid hoc dicam, quòd olent tua baſia myrrham,
Quódque tibi eſt ſemper non alienus odor?
Hoc mihi ſuſpectum eſt, quòd oles bene Poſthume, ſemper:
Poſthume, non bene olet, qui bene ſemper olet.

Syllogiſmus clarius ſic exponitur:

Nemo bene ſemper olens, bene olet:
Poſthumus eſt ſemper bene olens:
Poſthumus igitur non bene olet:

22 Quæſtio refutationis primùm ponitur, Murena non eſt ſaltator.

23 Propoſitio ſyllogiſmi confirmatur ab aduerſis: Qui ſaltator eſt, viuit in luxu & deliciis: Non eſt igitur ſobrius ſaltator.

24 Aſſumptio ſequitur: Murena eſt ſobrius: cui additur approbatio ex remotione cauſarum, quæ Murenam ad ſaltandum inuitare poſſent: quæ ſunt, Turpe côuiuium, amor, comeſſatio, libido, ſumptus.

25 Complexio poſtrema eſt: Murena igitur non

ſaltat: quæ tamen nudè non tractatur, ſed interpoſita collatione maiorum.

26 Phyllis apud Ouidium accuſat Demophoontem, quòd ab eo ſpreta & decepta ſit. Argumentum eſt ab adiunctis Demophoontis, & ſyllogiſmus ex ordine partium concluſus.

Hactenus de primo genere ſimplicium ſyllogiſmorum, & eius quatuor rectis & legitimis modis diximus: ex quibus vitioſos modos, qui occurrent in hoc genere diſpoſitionis, etiã cognoſcere & intelligere poſſumus: quia rectum eſt index ſui & obliqui. Hæc igitur prima forma & ratio diſponendi argumenti, quod maiorem partem quæſtionis antecedit, minorem ſequitur, ex omnibus enuntiatis negantibus, aut ex omnibus ſpecialibus, aut ex propoſitione ſpeciali, aut ex aſſumptione negante vitioſe & illegitimè concludet. Quid ita? quia eiuſmodi concluſiones abhorrebunt ab arte, nec in vllum quatuor deſcriptorum modorum recident.

Quid Ariſtoteles de primo genere ſimplicium ſyllogiſmorum, & eius modis?

Principio generatim non definiuit, quid eſſet primum genus, & eius quatuor rectos modos commentitiis principiis dici de omni, & dici de nullo, abecedariiſque exemplis obſcurauit, nec ſeparatim ſuis propriis definitionibus ſatis dialecticè diſtinxit. In arte ſiquidẽ tradenda vnaquæque ſpecies ſeorſum definienda, & perſpicuis exemplis illuſtranda eſt: quam doctrinæ lucem in his quatuor modis nõ adhibuit. Vitioſos autem modos multos annotauit, qui ex contrariarũ virtutum perceptione poterant intelligi: nec artẽ tam prolixam & obſcuram requirebant, ex qua difficilius eſt ſyllogiſmorum vitia cognoſcere, quàm virtutes. Illud porrò animaduertendum eſt, quanuis ſint vitioſi & fallaces ſyllogiſmi, quos Ariſtoteles taxat, vitioſa tamen & inepta ratione ab illo fallaces oſtendi: ſic enim ait, Si

primum medio cõueniat omni, & medium nulli extremo inſit, ratiocinatio extremorum non erit. Quamobrem? Quia in hac diſpoſitione (inquit Ariſtoteles) ex antecedentibus veris, aliâs negata, aliâs affirmata vniuerſa complexio vera efficitur: vt,

Omnis homo eſt animal:
Nullus equus eſt homo:
Ergo omnis equus eſt animal. Et,
Omnis homo eſt animal:
Nullus lapis eſt homo:
Ergo nullus lapis eſt animal.

Qui ſyllogiſmi licet inconſtantes ſint & inconſequentes, eorum tamen inconſtantia & inconſequentia non hac ratione improbari debuit: ſed quemadmodum ſyllogiſmus probatur conſtans & legitimus, ſi ex antecedentibus veris falſum nunquam poteſt concludere: ſic inconſtans & vitioſus iudicandus eſt, ſi quando ex veris falſum aliquid concludit. contrariorum enim cõtrariæ cauſæ reddendæ ſunt: Ariſtotelica autem probatio nullam omnino refellẽdi ſyllogiſmi vitioſi cauſam cõtinet.

1 Secundum genus ſimplicium ſyllogiſmorum eſt, in quo argumentum vtranque partem quęſtionis conſequitur. Cuius generis ſicuti ſuperioris quatuor modi ſunt. Primus & ſecundus, vniuerſi. Tertius & quartus, ſingulares.

PRIMVS MODVS.

2 Primus modus vſquequaque vniuerſus, ſed aſſumptione duntaxat affirmatus:

Nullus naturalis hominum cibus eſt cæde & ſanguine cruentus:

Omnis eſus carniũ eſt cæde & ſanguine cruentus:
Nullus igitur eſus carnium eſt naturalis hominum cibus.

Hac concluſione Pythagoræ ratiocinatio apud Ouidium cõtinetur. Cuius quæſtio initio ſic eſt,

Parcite mortales dapibus temerare nefandis Metam.15
Corpora.

Deinde ratio propoſitionis pręcedit ex enumeratione partium,

—Sunt fruges, ſunt deducentia ramos
Pondere poma ſuo, tumidaq́ in vitibus vuæ:
Sunt herbæ dulces, ſunt quæ miteſcere flamma,
Molliríque queant, nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia flore.

Propoſitio ſequitur,

Prodiga diuitias, alimentáque mitia tellus
Suggerit, atq́ epulas ſine cæde & ſanguine præbet.

Tum alia confirmatio ex aduerſis additur,

Carne feræ ſedant ieiunia, nec tamen omnes:
Quippe equus & pecudes, armentáque gramine viuunt.
At quibus ingenium eſt immanſuetúmque, ferúmque,
Armeniæ tigres, iracundíque leones,
Cumq́ lupis vrſi dapibus cum ſanguine gaudent.

Aſſumptionis ſententia proxima eſt:

Heu q̃ cruentus & ſceleratus eſt eſus carnium.

Heu quantum ſcelus eſt in viſcere viſcera condi,
Congeſtóque auidum pingueſcere corpore corpus,
Alteriúſque animantem animalis viuere letho.

Complexio tandem ponitur cum iteratione argumenti & comparationis acceſsione,

Scilicet in tantis opibus, quas optima mater
Terra creat, nil te niſi triſtia mandere ſæuo
Vulnera dente iuuat, ritúſque referre Cyclopum:
Nec niſi perdideris alium, placare voracis
Et malè placati poteris ieiunia ventris.

Hæc Pythagorica monitio in hunc modum cõcluſa eſt, multíſque poſtea ornamentis illuſtrata:

Nullus animus conturbatus, bene affectus eſt ad ratione vtendum:
Sapientis animus ita ſemper affectus eſt, vt ratione optimè vtatur:
Nunquã igitur ſapientis animus eſt perturbatus.

Tuſcul.3. 3 Cicero ſyllogiſmum hunc ita conficit, „ Et quemadmodum oculus conturbatus non „ eſt probè affectus ad ſuum munus fungendũ, & reliquæ partes, totúmve corpus à ſtatu cùm eſt motum, deeſt officio ſuo & muneri: ſic conturbatus animus non eſt probè affectus ad exequendum munus ſuum. Munus autem animi eſt ratione vti: & ſapientis animus ita ſemper affectus eſt, vt ratione optimè vtatur: nunquã igitur eſt perturbatus.

SECVNDVS modus.

4 Secundus modus vſquequaque eſt vniuerſus, ſed propoſitione duntaxat affirmatus: vt,

Omnes veri amici communia habent omnia:
Nulli hoc tempore communia habent omnia:
Nulli itaque hoc tempore veri ſunt amici.

Martialis hanc ratiocinationem ſic cõcluſit,

5 *Quòd non ſit Pylades hoc tẽpore, non ſit Oreſtes,* Lib. 6.
Miraris? 6 *Pylades Marce, bibebat idem:*
Nec melior panis, turdúſue dabatur Oreſti:
Sed par atque eadem cœna duobus erat.
7 *Tu Lucrina voras, me paſcit aquoſa Peloris:*
Non minus ingenua eſt & mihi Marce, gula.
Te Cadmæa Tyros, me pinguis Gallia veſtit:
Vis te purpureum Marce, ſagatus amem?
8 *Vt præſtẽ Pyladẽ, aliquis mihi præſtet Oreſtem,*
Hoc non ſit verbis, Marce, vt ameris, ama.

Quod ſpeciatim de Pylade & Oreſte dicit, de veris amicis generaliter eſt intelligendum. Item quod de ſe & Marco, de omnibus eiuſdẽ temporis hominibus eſt accipiẽdum.

Omnis interitus eſt ſecretio partium compoſitarum:
Nullus autem animus partibus compoſitis ſecernitur:
Nullus igitur animus interit.

9 Sic Cicero ratiocinatur: Aſſumptio prima eſt, complexio ſecunda, propoſitio vltima,
Tuſc.5. „ In animi autẽ cognitione dubitare non
„ poſſumus (niſi planè in phyſicis plumbei ſu-
„ mus) quin nihil ſit animis admiſtum, nihil
„ concretũ, nihil copulatum, nihil coagmen-
„ tatum, nihil duplex: quod cùm ita ſit, certè
„ nec ſecerni, nec diuidi, nec diſcerpi, nec diſ-
„ trahi poteſt, nec interire igitur: eſt enim in-
„ teritus quaſi diſceſſus, & ſecretio ac direm-
„ ptus earum partium, quæ ante interitũ iun-
„ ctione aliqua tenebantur. 10 Reliqui modi velut in primo genere ſpeciales ex aſſumptione & cõplexione ſpecialibus efficiũtur.

TERTIVS MODVS.

11 Tertius modus ſola & aſſumptione affirmatus, & propoſitione vniuerſus: vt apud Ouidium,

3. de Põto 12 *Liuor, iners vitium, mores non exit in altos:*
Vtq; latens ima vipera ſerpit humo:
Mens tua ſublimis ſupra genus eminet ipſum,
Grandius ingenio nec tibi nomen ineſt.
Ergo alÿ noceant miſeris, opténtque timeri:
Tinctáque mordaci ſpicula felle gerant.
At tua ſupplicibus domus eſt aſſueta iuuandis,
In quorum numero me precor eſſe velis.

Quod breuius ita concluditur:

Nullus liuidus petit alta:
Maximus petit alta:
Maximus igitur non eſt liuidus.

13 *Nullius ſenſu carentis pars aliqua poteſt eſſe ſentiens:*
Mundi autem partes ſentientes ſunt:
Non igitur caret ſenſu mundus.

Zeno iis verbis apud Ciceronē ita ratiocinatur. Cicero in Paradoxis ſimiliter concludit, cùm diſputat eo tempore ciuitatem non fuiſſe, cùm à Clodio eiectus eſt: **2. de Nat. deorum.**

Nulla ciuitas eſt latronum cōgregata multitudo:
Cùm eiectus ſum Roma, fuit latronum cōgregata multitudo:
Cùm igitur eiectus ſum Roma, ciuitas non fuit.

» 14 Quæ eſt enim ciuitas, ait, omníſne cō-
» uentus etiā ferorum & im̄manium? omníſne
» etiam fugitiuorum ac latronum congregata
» vnum in locum multitudo? Certè negabis.
» Non igitur erat tum ciuitas, cùm leges in ea
» nihil valebāt, cùm iudicia iacebant, cùm mos
» patrius occiderat, cùm ferro pulſis magi-
» ſtratibus ſenatus nomen in Republica non
» erat: prædonum ille concurſus & te duce la-
» trociniū in foro conſtitutū, & reliquiæ con-
» iurationis à Catilinæ furiis ad tuū ſcelus fu-
» rorémque cōuerſæ num ciuitas erat? Itaque
» pulſus ego ciuitate non ſum, quæ nulla erat.

QVARTVS MODVS.

15 Quartus modus ſola propoſitione & vniuerſus & affirmatus:
Scribentes bona carmina debent eſſe læti:
Ouidius non eſt lætus:
Ouidius itaque non ſcribit bona carmina.
Hanc excuſationem de ſuis carminibus hic poeta tradidit in Triſtibus: ſed duos præterea ſyllogiſmos effecit,

Lib. 1. 16 *Carmina proueniunt animo deducta ſereno:*
Nubila ſunt ſubitis tempora noſtra malis.
Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt:
Me mare, me venti, me fera iactat hyems.
Carminibus metus omnis abeſt: ego perditus enſem
Hæſurum iugulo iam puto, iámque meo.
Hæc quoque quæ facio, iudex mirabitur æquus,
Scriptáque cum venia qualiacunque leget.

Cicero ad hunc modum argumentatur decemuiratum Rulli regnum non eſſe:
Omne regnum eſt finitum:
Decemuiratus Rulli non eſt finitus:
Decemuiratus igitur Rulli nõ eſt regnum.

Agrar. 2 17 Verbum mihi deeſt, Quirites, cùm ego „ hanc poteſtatem regiam appello: ſed profe„ ctò maior eſt quædam: 18 nullum enim re„ gnum fuit vnquam, quod non ſi minus iure „ aliquo, at regionibus tamen certis contine„ retur. 19 Hoc verò infinitũ eſt, quo & regna

„ omnia,& veſtrum imperium,quod latiſsimè
„ patet,& ea quę partim libera à vobis,partim
„ etiã ignorata vobis ſunt, permiſſu legis con-
„ tinentur.Cõplexio prima eſt: propoſitio ſe-
cunda:aſſumptio tertia. 20 Secundum genus ſimplicium ſyllogiſmorum numerum concluſionum primo generi parem habet, tametſi in eo nihil niſi negatum concluditur.Eſt autem minus illuſtre, minúſque naturale, quàm primum:frequenter tamen incidit.

1 Secundum genus ſimplicis ſyllogiſmi definitur, vbi argumentum vtranque partē quæſtionis conſequitur, maiorem in propoſitione, minorē in aſſumptione: Argumētum verò conſequitur, quando attributum eſt, & partes quæſtionis ſunt ſubiecta quædam:vt,

Omne regnum eſt reipubicæ ſalutare:
Nulla tyrannis eſt reipublicæ ſalutaris:
Nulla igitur tyrannis eſt regnum.

Argumentum,*Salutare*,in propoſitione & aſſumptione attributum eſt: *Regnum* & *Tyrãnus*,duæ partes quęſtionis ſubiiciuntur argumēto.Huius generis concluſiones valde naturales ſunt, & vſitatæ in bonis authoribus: licet in his tamen tanta claritas & perſpicuitas non ſit, quãta in quibuſdam modis primi generis eſt:quia nunquam affirmatè cõcludunt,ſed ſemper negatè, ideóque in refutationibus maximè cernuntur.

2 Primus modus poſtulat argumentũ maiori parti quæſtionis diſſentaneum, & minori conſentaneum, vt iudicium de propoſita quæſtione vera faciat. & ſic Cicero ratiocinatur Paradoxo primo, Potéſtne bonum cuiquam eſſe malo? aut poteſt quiſquam in abundantia bonorum ipſe eſſe non bonus? atqui iſta omnia talia videmus, vt etiam improbi habeant, & obſint probis:

quem irrideat, ſi quis vult, plus tamen apud me vera ratio valebit, quàm vulgi opinio. In quo exẽplo duo ſunt ſyllogiſmi: Primus hoc modo:

Nullum bonum homini nocere poteſt:
Diuitiæ homini nocere poſſunt:
Diuitiæ igitur non ſunt bona.

Secundus ſic:

Nullum bonum poßidetur ab improbis:
Diuitiæ poßidentur ab improbis:
Diuitiæ igitur non ſunt in bonis.

3 Cicero probat ſapientem nunquam perturbari: argumentum eſt à repugnantibus perturbationis: propoſitio pręcedit, & ſimilitudine corporis declaratur: aſſumptio ſecunda: complexio tertia.

4 Secũdus modus à primo differt ordine affirmationis & negationis. Illic enim propoſitio negatur, & aſſumptio affirmatur: hîc inuerſo ordine propoſitio affirmatur, & aſſumptio negatur. in quo genere concluſionis ſumendum eſt argumẽtum maiori parti quæſtionis conſentaneum, & diſſentaneum minori: vt paradoxo primo, Quicquámne bonum eſt, quod non eum, qui id habeat, meliorem facit? vt enim quiſque maximè eſt boni particeps, ita laudabilis maximè: neque eſt vllum bonum, de quo non is qui habeat, honeſtè poſsit gloriari. Quid autem eſt horum in voluptate? meliorémne efficit, aut laudabiliorem? &c. Syllogiſmus ita concluſus eſt:

Omne bonum facit ſuum poſſeſſorem meliorem:
Nulla voluptas facit ſuum poſſeſſorem meliorem:
Nulla igitur voluptas bonum.

Martialis libro quinto,

Vxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? vxori nubere nolo meæ:
Inferior matrona ſuo ſit Priſce, marito:
Non aliter fiunt fœmina virque pares.

Complexio licet ſpecialis videatur, generaliter tamen

accipienda eſt. Aſſumptio ſecundo loco ponitur: propoſitio tertio: & ſyllogiſmus preſsius fit ad hunc modũ:

Omnis bona matrona debet eſſe inferior ſuo marito:
Nulla vxor locuples eſt inferior ſuo marito:
Nulla igitur vxor locuples eſt bona matrona.

5 Martialis conqueritur nullos veros amicos inueniri: argumentum eſt à repugnantibus amicitię, quòd nulla ſint hominum bona cõmunia. Quæſtio primùm ponitur, quæ futura eſt complexio ſyllogiſmi.

6 Propoſitio quanuis enuntiatũ videatur eſſe proprium, ſententiam tamen generalem continet: Oreſtes enim & Pylades, quæ ſingularia ſunt exempla amicorum, generatim pro omnibus veris amicis dicuntur per ſynecdochen.

7 Aſſumptio item generalis intelligitur, quia exempla ſpecialia per ſynecdochen pro generalibus ſententiis vſurpantur: vt Marcus & Martialis pro omnibus hominibus eius temporis.

8 Complexio ſyllogiſmi cũ iteratione argumenti.

9 Cicero diſputat animum non interire, à definitione interitus, quæ repugnat naturæ animi.

10 Hactenus de duobus generalibus modis ſecũdi generis dictum eſt, qui licet ſint varii & diuerſi, interdum tamen accidit, vt eandem quæſtionem cõcludant, variato duntaxat & mutato argumento: vt,

Nullus diues eget:
Omnis auarus eget:
Nullus igitur auarus eſt diues.

Hæc concluſio eſt primi modi. Item,

Omnis diues ſua ſorte contentus eſt:
Nullus auarus eſt ſua ſorte contentus:
Nullus igitur auarus diues.

11 Tertius modus ſub primo quodammodo continetur: quia quod illic generaliter negatur, hîc ſpecialiter negari poteſt in complexione: & quòd illic generaliter affirmatur in aſſumpione, hîc ſpecialiter poteſt

affirmari:vt,

Nullus conturbatus bene affectus eſt ad ratione vtendum:
Aliquis ſapiens bene affectus eſt ad ratione vtendū,
Aliquis igitur ſapiens non eſt perturbatus.

In quo modo,ſicut in primo, argumentum ſumendum eſt diſſentaneum maiori parti quæſtionis,& conſentaneum minori.

12 Ouidius laudat Maximū, quòd non ſit inuidus, Argumentum à repugnātibus ſumitur:quia ſtudeat miſeris opem ferre.Propoſitio eſt in primo diſticho, quæ illuſtratur à diſsimilibus:aſſumptio in ſecundo,quæ declaratur comparatione minorum & parium. Complexio in tertio & quarto,quæ amplificatur à diſsimilibus.

13 Zeno Platonē in Timæo ſequutus negat mundum eſſe ſenſus expertem. Argumētum eſt à repugnātibus:hæc enim repugnant,mundi partes ſentiētes eſſe, & mundum non ſentire.

14 Cicero Stoicè diſputat aduerſus Clodiū, à quo contumelioſe fuerat appellatus exul,ſe non fuiſſe pulſum ciuitate. Argumentum eſt à repugnātibus ciuitatis.Propoſitio præcedit,aſſumptio ſequitur iuncta complexioni,quæ exornatur ex factis Clodianorū:tum demum complexio ſeparatim ſubiicitur,& iteratur.

15 Quartus modus ex ſecundo deduci poteſt,ſi aſſumptionem & complexionē, quæ illic vniuerſæ ſunt, in ſpeciales mutaueris:vbi argumentū ſimiliter eligendum eſt maiori parti conſentaneum, & diſſentaneum minori,ſi ad complexionē veram peruenire velis. Cicero in Paradoxis, Neſcis exiliū ſcelerum eſſe pœnam? meum autem illud iter ob res præclariſsimas à me geſtas eſſe ſuſceptum?Syllogiſmus talis eſt:

Omne exilium eſt pœna peccati:
Ciceronis diſceſſus ex vrbe non fuit pœna peccati:
Ciceronis igitur diſceſſus non fuit exilium.

16 Ouidius apud Getas exul negat ſe poſſe ſcribe-

re bonos verſus. Argumentum à tribus adiunctis boni poetæ, quæ ſunt lætitia, ſolitudo & vacuitas perturbationis: quæ ſeparatim diſpoſita tres efficiũt ſyllogiſmos vnius & eiuſdem complexionis.

17 Cicero ad conflandam inuidiam Rullo tribuno plebis, diſputat decemuiratum, quem lege Agraria inſtituit, non eſſe regnum, ſed poteſtatẽ regno multò maiorem & iniquiorem. Argumentum eſt ab adiunctis regni: complexio præcedit cum quadã correctione eius, quod antè dixerat. Dat præterea poteſtatẽ verbo prætoriam, re vera regiam.

18 Propoſitio ſententiam habet huius affirmationis: Omne regnũ eſt finitũ: & ſæpe accidit, vt in enũtiatis duæ negationes reddãt & exprimant affirmationẽ.

19 Aſſumptio declaratur ſubiectione aliquot partium, id eſt rerum, quas Rullus decemuirorum poteſtati & libidini permittit,

20 Secundum genus ſimplicium ſyllogiſmorum tribus modis cõparatur cũ primo, vt ſimile, quia vtrunque quaternos modos habet: vt impar, quia ſecundum minus ſit illuſtre, quàm primum: illuſtre dico non veritate partiũ, ſed claritate diſpoſitionis: vt diſsimile, quia primum genus & affirmatè & negatè, ſecundum negatè tantùm concludit.

Quid Ariſtoteles de ſecundo genere ſimplicium ſyllogiſmorum, & eius modis?

Ariſtoteles, quaſi lucẽ oderit, paribus tenebris confundit ſecũdum genus, atque primum: definitio generalis ſecũdi generis nulla eſt, cuius prætermiſsiòne grauiter in artibus tradẽdis peccatur: & cùm quatuor recti modi quatuor definitionibus diſtinguendi & explicandi eſſent: duos tamen generales vna, & duos ſpeciales altera definitione ſimul inuoluit, eóſque obſcuriſsimis abecedariarum notarũ exemplis obruit. De vitiis quæ ſunt virtutibus oppoſita, ſimilis eſt probationis er-

ror: nam tametſi ea vitia ſunt, vitioſa tamen ratione ab Ariſtotele damnantur, quòd videlicet antecedentibus veris & conceſsis modò affirmationem, modò negationem veram cõcludant. Hæc enim incõſequentiæ cauſa non eſt in ſyllogiſmo, ſed ſi antecedẽtibus veris falſum concludat, aut in exẽplo propoſito, aut in aliquo ſimili, tũc fallax & incõſequens iudicatur. Syllogiſmus enim eſt certa & conſtans regula explorandæ veritatis, quæ docet ex duabus partibus veris iudicatis tertiam veram iudicare: quare ſi contrariorũ contrariȩ cauſæ ſunt, ſyllogiſmus fallax & inconſequens ob eam cauſam dicetur, quòd ex duobus veris tertium falſum efficiat. Illud præterea in Ariſtoteleis præceptis ridiculum eſt, quòd Ariſtoteles ſyllogiſmos ſecũdæ figuræ per ſyllogiſmos primæ probari putat oportere: exẽpli gratia, ſi per primum modum ſecundi generis ita concluſeris:

Nullus timidus eſt liber:
Omnis ſapiens eſt liber:
Nullus igitur ſapiens eſt timidus.

Propoſitionis partibus ſuum locum ſibi inuicẽ cedentibus, & ordine tranſpoſitis fiet ſecundus modus primi generis:

Nullus liber eſt timidus.
Omnis ſapiens eſt liber:
Nullus igitur ſapiens eſt timidus:

Hoc, inquam, genus reductionis totum ridiculũ & ineptum eſt, quia omnis ſyllogiſmus, cuiuſcũque figuræ ſit, ſuapte natura multò clarior eſt ipſa conuerſione, per quam in alium ſyllogiſmum tranſmutatur: nec vllam aliam probationẽ ſyllogiſmus requirit, quàm vt aptè definiatur, & exemplis idoneis illuſtretur.

1 Tertium genus reliquum eſt è ſimplicibus, in quo argumentum vtranque partem quæſtionis antecedit. Modos autem plures

habet, quàm ſuperiora genera, omnes tamen ſpecialis & ſingularis complexionis. Sex autem ſunt.

PRIMVS MODVS

Primus modus vſquequaque affirmatus, ſed propoſitione & aſſumptione duntaxat vniuerſus:

Omnes tyranni ſunt improbi:
Omnes tyranni ſunt locupletes:
Aliquis igitur locuples eſt improbus.

SECVNDVS MODVS.

Secundus modus, aſſumptione duntaxat affirmatus, propoſitione autẽ & aſſumptione vniuerſus:

Nulli reges ſunt improbi:
Omnes reges ſunt locupletes:
Aliquis igitur locuples non eſt improbus.

Reliqui quatuor modi vnam tantùm partem generalem habent.

TERTIVS MODVS.

Tertius modus eſt vſquequaque affirmatus, ſed aſſumptione tantùm vniuerſus:

Aliquis tyrannus eſt improbus:
Omnis tyrannus eſt locuples:
Aliquis igitur locuples eſt improbus.

21 QVARTVS MODVS.

Quartus modus eſt vſquequaque affirmatus, ſed propoſitione tantùm vniuerſus:

Omnis tyrannus eſt improbus:
Aliquis tyrannus eſt locuples:
Aliquis igitur locuples eſt improbus.

QVINTVS MODVS.

Quintus modus eſt ſola aſſumptione & vniuerſus & affirmatus:

Aliquis rex non eſt improbus:
Omnis rex eſt locuples:
Aliquis igitur locuples non eſt improbus.

SEXTVS MODVS.

Sextus modus eſt ſola & propoſitione vniuerſus, & aſſumptione affirmatus:

Nullus rex eſt improbus:
Aliquis rex eſt locuples:
Aliquis igitur locuples non eſt improbus.

2 Concluſiones huius poſtremi generis ſunt admodum infrequentes. Locus eſt apud Ciceronem, ſed parum acutè cõcluſus, 3 Iam verò quî poteſt vir bonus nõ ad id quod laudabile ſit, omnia referre, quæ agit, quæ ſentit? refert autem omnia ad beatè viuendum: beata igitur vita laudabilis. Sic autem rectè conformaretur primo modo;

Tuſc.5.

Vir bonus eſt laudabilis:
Vir bonus eſt beatus:
Beatus igitur eſt laudabilis.

Specialiter tamen duntaxat concludi iſtud poteſt:

Beatus igitur aliquis eſt laudabilis.

Et ſecundo de Finibus his verbis:

4 *Qui in ſummo malo eſt, iſte cùm in eo eſt, non eſt beatus:*
Sapiens autem ſemper beatus eſt, & eſt aliquando in dolore:
Non eſt igitur ſummum malum dolor.

5 In hoc tertio genere illud eſt notabile, quòd eandem quæſtionem tribus modis, primo, tertio, quarto affirmatam, item ſecundo, quinto, ſexto negatam concludere liceat.

1 Tertium genus ſimplicium ſyllogiſmorum definitur, in quo argumentum vtranque partem quæſtionis antecedit, maioré in propoſitione, minorem in aſſumptione: quod tũ accidit, cùm argumentũ vtrobique ſubiectum eſt, & extrema quæſtionis attributa ſunt: vt,

Omnis philoſophus eſt laudandus:
Omnis philoſophus eſt ſtudioſus ſapientiæ:
Aliquis igitur ſtudioſus ſapientiæ eſt laudandus.

Quæ tertia ratio diſponendi argumenti licet amplitudine lucis à duobus ſuperioribus generibus vincatur, eſt tamen per ſe inſignis, & perſpicua, & naturalis, & legitima: vt ſi dixeris,

Tota Roma eſt in Europa:
Tota Roma eſt in Italia:
Ergo aliquid Italiæ eſt in Europa.

Hic ſyllogiſmus nõ eſt tam perſpicuus & illuſtris, quàm ſuperiores ſyllogiſmi primi & ſecundi generis: ſed tamen ſua luce & perſpicuitate clarus eſt, & per ſe firmus & cõſtans, vt nemo dubitare debeat, quin ſi argumentum hac lege & via diſponatur, antecedẽtibus partibus veris & conceſsis cõcluſio vera & indubitata ſequatur. Omnis enim ſyllogiſmus eſt diſpoſitio perſpicua & naturalis: ſed vt in ſtellis, ſic in generibus ſyllogiſmorum ſunt quidam claritatis gradus, vt ſyllogiſmus tertii generis ſit clarus, ſecundi clarior, primi clariſsimus: vnuſquiſque tamen ſua naturali perſpicuitate contentus.

2 Syllogiſmi tertii generis perrari ſunt: & tamen ſi quis argumentum hac ratione diſponat, rectè & legitimè diſponet, nec vnquam falli poterit: & quãuis tales ſyllogiſmi ab vſu & ſenſu communi paulò remotiores videantur, nihilominus tamen cõſtantes ſunt, & incidere poſſunt, & ſolent.

3 Cicero concludit beatum virum eſſe laudabilem, quia bonus ſit: in quo exemplo quædam veſtigia ſunt primi modi tertii generis.

4 Hic ſyllogiſmus preſsiùs ita concluditur per ſecundum modum:

Nullus ſapiens & beatus vnquam eſt in ſummo malo:
Omnis ſapiens & beatus aliquando eſt in dolore:
Aliquis igitur dolor non eſt ſummum malum.

5 Illud etiam notabile eſt, omnes ſex modos poſſe ad duos reuocari: vt primus ſit vſquequaque affirmatus, & vtraque parte antecedente, vel altera tãtùm vniuerſus: hæc enim definitio primum, tertium & quartum modos continet: ſecundus ſola aſſumptione affirmatus, & vtraque parte antecedente, vel altera tantũ vniuerſus. Hæc enim definitio complectitur ſecundum, quintum, & ſextum modos: qui tamen per partes latius diducti melius & facilius intelliguntur.

Quid Ariſtoteles de tertio genere ſimplicium ſyllogiſmorum, & eius modis?

Idem facit Ariſtoteles,quod in ſuperioribus generibus:definitionem generis tacitus præterit,& eius modos pari confuſione permiſcet.probationes autem Ariſtotelicæ,quibus ſyllogiſmi tertiæ figuræ probantur,inutiles ſunt:quanuis enim in hoc genere lux ipſa cõcluſionis tam perſpicua & illuſtris non ſit,quàm in prædictis aliis,perſpicuitatem tamen ſuam naturalem habet, qua ſyllogiſmus firmus & conſtans iudicatur: nec vlla alia eget probatione,quàm vt rectè & clarè à dialectico huius artis doctore definiatur,& exemplis illuſtretur:& conuerſio ipſa enuntiationum, per quam ſyllogiſmus tertiæ figuræ ad primam reducitur, non magis clara & perſpicua eſt,quàm ſyllogiſmus ipſe, qui per cõuerſionẽ reducitur & demonſtratur:& ſi quis aut ignorantia aut proteruitate aliqua ſyllogiſmũ tertii generis non probet,eadem vel ignorantia, vel proteruitate ad improbandos ſyllogiſmos primi generis abuti poterit. In refutatione autem vitioſorum modorum idem error Ariſtotelicus eſt: quanuis enim fallaces ſint & inconſequentes,argumento tamen inepto & alieno fallaces eſſe probantur.

1 In omni autem ſimplicium ſyllogiſmorum genere ex omnibus propriis enũtiationibus concludere poſſumus, vno tantùm ex præſcriptis legibus obſeruato, vt affirmatio negatióque ad rationem diſpoſitionis expoſitæ conueniant. Ita duo duntaxat erunt in vnoquoque genere modi proprii atque in primo.

PRIMVS MODVS.

Octauius eſt hæres à Cæſare relictus:
Tu es Octauius:

Tu igitur es hæres à Cæſare relictus.

SECVNDVS MODVS.

Antonius non eſt filius Cæſaris:
Tu es Antonius:
Tu non es igitur filius Cæſaris.

SECVNDI GENERIS
primus modus.

Ageſilaus non eſt pictus ab Apelle:
Alexander eſt pictus ab Apelle:
Non eſt igitur Alexander Ageſilaus.

SECVNDVS MODVS.

Cæſar patriam oppreßit:
Pompeius non oppreßit patriam:
Pompeius igitur non fuit Cæſar.

TERTII GENERIS
primus modus.

Cicero eſt parens patriæ:
Cicero eſt parens eloquentiæ:
Aliquis itaque parẽs eloquentiæ eſt parẽs patriæ.

SECVNDVS MODVS.

Catilina non eſt iuſtus:
Catilina eſt Romanus:
Aliquis igitur Romanus non eſt iuſtus.

1 Hactenus doctrina ſimplicium ſyllogiſmorũ per genera & ſpecies expoſita eſt: in quibus definiendis maximè habita eſt ratio enuntiatorum communium, quæ non tantùm affirmatione & negatione, ſed etiã quan-

titate generali & ſpeciali differrent: quæ definitiones quoniam non omni ex parte conuenire poſſunt enunciatis propriis, quia nulla quãtitate generali vel ſpeciali afficiuntur, idcirco de his breuis admonitio ad extremũ ponitur, vt enũciata propria ad normam artis expoſitæ per omnia genera diſponamus, habita dũtaxat ratione affirmationis & negationis: itaq; in primo genere duo tantùm modi ſunt: primus interdum vſquequaque proprius & affirmatus: vt,

Alexander fuit filius Philippi:
Tu es Alexander:
Tu es igitur filius Philippi.

Interdum ſola propoſitione proprius: vt,

Romulus fuit conditor Romæ:
Aliquis filius Martis fuit hic Romulus:
Aliquis igitur filius Martis fuit conditor Romæ.

Secundus vſquequaque proprius, & ſola aſſumptione affirmatus: vt,

Antonius non eſt filius Cæſaris:
Tu es Antonius:
Tu non es igitur filius Cæſaris.

Secundũ genus, vbi argumẽtũ vtrãque partẽ quæſtionis ſequitur, ſimiliter duos tantũ modos habet. Primus eſt vſquequaque proprius, & ſola aſſũptione affirmatus: vt,

Alexander non eſt victus à Pompeio:
Mithridates victus eſt à Pompeio:
Mithridates igitur non eſt Alexander.

Secundus vſquequaque proprius, & ſola propoſitione affirmatus: vt,

Alexander vicit Aſiam:
Iulius Cæſar non vicit Aſiam:
Iulius igitur Cæſar non fuit Alexander.

Tertium genus, in quo argumentum vtranque partem quæſtionis antecedit, item duos tantùm modos habet. Primus modus vel vſquequaque, vel vtraque tantũ parte antecedente proprius & affirmatus: vt,

Cato fuit iuſtus:
Cato fuit Vticenſis dictus:
Vticenſis igitur fuit iuſtus. Et,
Romulus fuit conditor Romæ:
Romulus fuit filius Martis:
Aliquis igitur filius Martis fuit conditor Romæ.

Secundus ſola aſſumptione affirmatus:vt,

Catilina non eſt iuſtus:
Catilina eſt Romanus:
Aliquis igitur Romanus non eſt iuſtus.

Quid Ariſtoteles de ſyllogiſmis propriis?

Ariſtoteles capite ſexto libri primi priorum Analyticorũ cùm ſyllogiſmos ſimplices tertiæ figuræ per expoſitionem probat,aliquam dat ſignificationem ſyllogiſmorum propriorũ,ſed obſcuriſsimam & leuiſsimam: quia non docet enuntiata propria communi lege & arte ſimplicium ſyllogiſmorum concludi:ſed velut aliud agens ſyllogiſmum communem ſpecialibus exemplis declarat:vt,

Omnis homo ſentit:
Omnis homo eſt animal rationale:
Aliquod igitur animal rationale ſentit.

Hic ſyllogiſmus per expoſitionem ſic demonſtratur:

Socrates ſentit:
Socrates eſt animal rationale:
Aliquod igitur animal rationale ſentit.

Sed Ariſtoteles,vt dixi,non id agit,vt doceat ſyllogiſmum ex propriis enuntiatis fieri,& communi arte ſyllogiſmorum conformari:ſed caſu aliquo in idipſum incidit,quod tamen neque animaduertit,neque docuit: præſertim cũ in hac arte,quam tradit & profitetur,partes quæſtionis communes,& argumentum item commune quod cum partibus diſponatur,inueniri, & ſumi oportere iubeat.

1 Ac de ſyllogiſmis ſimplicibus. Cõiuncti deinceps ſunt explicandi. Coniūctum autem ſyllogiſmum dico, cuius propoſitio diſpoſitum habet cum vtraque parte quæſtionis argumentum. 2 Genera duo ſunt, connexus & diſiunctus. 3 Connexus ſyllogiſmus à propoſitione connexa nominatur. Cuius modi duo ſunt.

PRIMVS MODVS

4 Primus modus retinet antecedens, vt conſequens retineat.

5 *Si dij ſunt, diuinatio eſt:*
Sunt autem dij:
Eſt ergo diuinatio.

Cicero his verbis concludit diuinatio- 2. de Diui.
» nem eſſe. Cicero rurſum, ſed vberius: 6 O de Seneɫt.
» miſerum ſenem, qui mortem contemnendā
» eſſe in tam longa ætate non uiderit: quæ aut
» planè negligēda eſt, ſi omnino extinguit ani-
» mum: aut etiam optanda, ſi aliquò eum de-
» ducit, vbi ſit futurus æternus. Atqui tertium
» certè nihil inueniri poteſt. Quid igitur ti-
» meam, ſi aut nō miſer poſt mortem, aut bea-
» tus etiam futurus ſum? Breuius & clarius ita
concludе:

Si mors extinguit animum, negligēda eſt: ſi æternum relinquit, optanda:

Atqui vel extinguit, vel æternum relinquit:
Eſt igitur aut negligenda, aut optanda.

Dido apud Virgilium:

ÆEn. 4. 7 *Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam*
Dulce meum, miſerere domus labentis, & iſtam
Oro, ſi quis adhuc precibus locus, exue mentem:
Te propter Libycæ gẽtes, Nomadúmque tyrãni
Odere, infenſi Tyrij, te propter eundem
Extinctus pudor, & qua ſola ſydera adibam,
Fama prior: cui me moribundam deſeris hoſpes?

Catil. 1. 8 Aliquãdo verò non retinetur idem, ſed
„ plus aſſumitur. Cicero, 9 Si te parentes time-
„ rẽt, atque odiſſent tui, neque illos vlla ratio-
„ ne placare poſsis, vt opinor, ab eorum oculis
„ aliquò concederes. Nunc te patria (quæ com
„ munis eſt omnium noſtrum parens) odit ac
„ metuit, & iandiu de te nihil iudicat, niſi de
„ parricidio ſuo cogitare, huius tu neque au-
„ thoritatem verebere, neque iudiciũ ſequêre,
„ neque vim pertimeſces?

SECVNDVS MODVS.

10 Secundus modus connexus tollit conſequens, vt tollat antecedens. Cicero in Lucullo his verbis:

11 *Si vlli rei ſapiens aſſentietur vſquã, aliquando etiam opinabitur:*
Nunquam autem opinabitur:

Nulli igitur rei aſſentietur.

Et Ouidius,

[12] *Si ſaperem, doctas odiſſem iure ſorores,* 2.Triſt

Numina cultori pernicioſa ſuo:

At nunc tanta meo comes eſt inſania morbo,

Saxa memor refero rurſus ad icta pedem.

[13] Aliquãdo non tollitur nominatim conſequentis aſſeueratio, ſed hypotheſis diſſentanea ponitur, quòd eodem concluſionis genere tenetur. Cicero in Antoniũ, [14] Si conſul Antonius, fuſtuarium meruerunt legiones quæ conſulem reliquerũt: ſceleratus Cæſar, Brutus nefarius, qui cõtra conſulem priuato conſilio exercitus comparauerunt: ſin autem militibus exquirẽdi ſunt honores noui propter eorum diuinum atque immortale meritum, ducibus autem nec referri quidem poteſt gratia, quis eſt qui eum non hoſtẽ exiſtimet, quem qui armis perſequuntur, conſeruatores reipublicæ iudicãtur? Idem in alia oratione breuius: Philip.3.

Si conſul Antonius, Brutus hoſtis: Philip. 4.

Si cõſeruator reipublicæ Brutus, hoſtis Antonius.

[15] Omnium porrò ſyllogiſmorũ & ſimplicium & coniunctorum nullus eſt his duobus connexis in omni diſputationis genere neque frequentior, neque familiarior.

[16] Aliquando autem ſecundũ hos conne-

xorum ſyllogiſmorũ modos, ſimpliciter tamen, non coniunctè concluditur, cùm non idem vel aſſumatur, uel tollatur: ſed ex generali ſpeciale. Sic Catullus ad Lesbiam ſecundum primi connexi modum:

Si quicquã cupidoq́, optantiq́ obtigit vnquã, &
Inſperanti, hoc eſt gratum animo proprié.
Quare hoc eſt gratum, nobis quoque charius auro,
Quòd te reſtituis Lesbia, mi cupido,
Reſtituis cupido, atque inſperanti ipſa refers te
Nobis: ô lucem candidiore nota.
Quis me vno viuit fœlicior? aut magis hac quid
Optandum vita, dicere quis poterit?

Quód breuius concluſum, facilius intelligetur iſto modo:

Si quicquam cupido obtigit, verè gratum eſt:
Lesbia Catullo cupido obtigit:
Eſt igitur Lesbia grata Catullo.

Atque eodem modo cæteris de rebus licet concludere:

Si quicquam eſt iuſtum, idem eſt vtile:
Quicquid verò eſt honeſtum, iuſtum eſt:
Quicquid igitur eſt honeſtum, eſt vtile.

Item,

Si quid homo eſt, animal eſt:
Socrates homo eſt:
Socrates igitur animal eſt.

Qua ratione in ſecundi cõnexi reliquo mo-

do concludi conſtanter & dialecticè poteſt.

EXEMPLVM SEcundi modi:

Si quicquam homo eſt, animal eſt:
Lapis non eſt animal:
Lapis igitur homo non eſt.

1 Tranſitus eſt à ſimplici ſyllogiſmo ad coniunctum, qui non ſic appellatur à coniunctis enuntiatis, ſicut antea diximus, ſed à coniuncta diſpoſitione argumenti cum tota quæſtione. In hoc enim genere cõcluſionis propoſitio continet argumẽtum diſpoſitum cum vtraque parte quæſtionis: quod non fit in ſyllogiſmo ſimplici. Nec verò prætereundum illud eſt, eandẽ quæſtionem vtroque genere ſyllogiſmorum poſſe concludi, idémque argumẽtum modò ſimpliciter, modò coniunctè diſponi: vt,

Omne laudabile eſt honeſtum:
Omne bonum eſt laudabile:
Omne igitur bonum eſt honeſtum.

Syllogiſmus ſimplex eſt, qui ex eodem argumento & quæſtione in coniunctum mutatur, hoc modo:

Si omne bonũ eſt laudabile, omne bonũ eſt honeſtũ:
At omne bonum eſt laudabile:
Omne igitur bonum eſt honeſtum.

Itaque nobis licet ſyllogiſmos ſimplices in coniunctos, viciſsímque coniunctos in ſimplices conuertere.

Quid Ariſtoteles de definitione ſyllogiſmi coniuncti?

Nihil.

2 Syllogiſmi coniuncti duo ſunt genera, ſyllogiſmus connexus & diſiunctus, quæ vt natura & ratione, ſic arte & præceptis variis ſeparantur & diſtinguuntur:

quibus continetur omnis ratio argu mẽti coniunctè diſponendi : nec vlla præterea alia ars conſtans & ſtabilis inueniri aut tradi ab homine dialectico poteſt.

Quid Ariſtoteles de diuiſione ſyllogiſmi coniuncti?

Nihil.

3 Connexus ſyllogiſmus à propoſitione connexa dicitur, vel ab ea, quæ vim habet connexionis : vt ſi dixeris :

Quando homo currit, mouetur:
Atqui homo currit:
Ergo homo mouetur.

Primum illud relatum tantum valet, ac ſi dixeris: Si homo currit, mouetur. Itaque vt virtutem & efficaciam, ſic artem & doctrinam connexæ propoſitionis ſequitur: nec aliam normam deſiderat. Illud verò notandum eſt, non omne connexum enuntiatum ſyllogiſmo connexo conuenire: ſed id tantùm, quod affirmat: ex connexa ſiquidem negatione nullus fit connexus ſyllogiſmus ſtabilis & conſtãs: quia talis negatio ſignificat nullam eſſe ſtabilem partium cõiunctionem, & idcirco nihil inde ad concludendum aſſumi poſſe: vt,

Non ſi homo eſt particeps rationis, cælum eſt ſurſum.

Hæ duæ partes nulla neceſſaria conditione inter ſe cohærent, vt ipſa negatio etiam indicat.

4 Primus modus connexus retinet in aſſumptione antecedentem partem cõnexæ propoſitionis, id eſt affirmat, ſi affirmata fuerat: vel negat, ſi negata fuerat: & retinet conſequẽtem partem eiuſdem propoſitionis in complexione, & talem qualis erat, ſeruat, affirmatam, ſi affirmabatur, vel negatam, ſi negabatur: vt,

Si homo eſt particeps rationis, dialecticus eſt:
Sed homo eſt particeps rationis:
Homo igitur dialecticus eſt. vel,
Si homo non eſt expers rationis, bellua non eſt:

Atqui homo non eſt expers rationis:
Homo igitur bellua non eſt.

Illic antecedẽtis & conſequentis affirmatio, hîc negatio retinetur: & exemplum de affirmatione eſt paradoxo quarto, Familiariſsimus tuus Cornificius de te priuilegium tulit, vt ſi in opertũ bonę deæ acceſsiſſes, exulares: at te id etiam feciſſe gloriari ſoles: quomodo igitur tot legibus eiectus in exiliũ exulis nomen non perhorreſcis? Exemplum de negatione partium eſt apud Martialem libro quinto,

Eſſe nihil dicis quicquid petis, improbe Cinna.
Si nil Cinna petis, nil tibi Cinna nego.

5 Stoici concludunt eſſe aliquam diuinationem & præſagitionem rerum futurarũ: argumentum eſt à cauſis, id eſt, diis, qui diuinationem nobis impertiuntur.

6 Cato diſputat mortem ſenibus eſſe contemnendam: argumentũ eſt ab effectis mortis: quæſtio primùm ponitur: propoſitio connexa ſequitur duplex & geminata: tum aſſumptio: poſtrema eſt propoſitæ quæſtionis concluſio.

7 Dido precatur AEneam, ne Carthagine diſcedat: argumentum eſt ab illius factis, & bene meritis in AEneam. Propoſitio continetur tribus primis verſibus: aſſumptio tribus proximis, quę illuſtratur adiũctis meritorum, quæ ſunt odium propinquorũ, amiſsio pudoris & famæ: connexio eſt in poſtremo verſu.

8 Cùm plus aſſumitur, quàm erat in antecedente parte propoſitionis poſitum, ſyllogiſmus etiã conſtans efficitur: quia in tali amplificatione maius ipſum continet in ſe vim minoris: vt,

Si mihi bona fortunæ largitus eſſes, me tibi plurimum debere faterer:
At virtutem & ſapientiam, quæ eſt opibus omnibus melior, tribuiſti:
Quanto igitur magis tibi obſtrictus ſum?

9 Cicero hortatur Catilinam, vt exeat ex vrbe: ar-

gumentum eſt à minori ad maius. Propoſitio ſyllogiſmi prima eſt: aſſumptio ſecũda: quæ plus aſſumit, quàm poſitum erat in prima parte propoſitionis: complexio poſtrema.

10 Secundus modus connexus tollit in aſſumptione conſequentẽ partem propoſitionis, vt tollat in complexione antecedẽtem. tollere autem hîc appello contradictionem partis ponere, vel propriã vel ſpecialem, ſiue vtrique parti propoſitionis connexæ contradicere contradictione propria vel ſpeciali, conſequenti parti in aſſumptione, & antecedenti in complexione: vt,

Si Plato fuit indoctus, non eſt rectè philoſophatus:
Sed Plato rectè philoſophatus eſt:
Non fuit igitur indoctus Plato. Et,
Si omnis exercitatio eſt vtilis, nullus ludus fugiendus eſt:
Sed aliquis ludus eſt fugiendus:
Aliqua igitur exercitatio non eſt vtilis.

Contradictionem verò generalem excipere oportet, in qua hic ſecundus modus captioſe concluderet: vt,

Si omne animal eſt, omnis homo eſt:
Sed nullus homo eſt:
Ergo nullum eſt animal.

Hic ſyllogiſmus eſt inconſequens: quia veris antecedentibus falſum concludit.

11 Cicero confirmat Academicam ἐποχήν, id eſt retentionem & cohibitionem aſſenſus, à paribus.

12 Ouidius negat ſe eſſe bene conſultum, à factis ſuis: quia colit muſas, à quibus læſus eſt. Propoſitio eſt in duobus primis verſibus: complexio in tertio: aſſumptio in quarto. Syllogiſmus apertius ita concluditur:

Si ſaperem, odiſſem muſas:
Sed non odi muſas:
Non igitur ſapiens ſum.

13 In cõnexis ſyllogiſmis, ſicut in ſimplicibus, ſententiæ magis ſpectandæ ſunt: & ad diſpoſitionis nor-

mam legémque referẽdę: vt in hoc ſecundo modo connexo licet interdum conſequens nominatim non tollatur, re tamen & ſenſu tollitur. Ciceronis exemplum breuius ita concludetur:

Si conſul Antonius, Cæſar, Brutus, & eorum milites ſunt ſcelerati:
Si non ſunt ſcelerati:
Non eſt conſul Antonius.

Secunda hypotheſis prima parte continet aſſumptionem ex remotione conſequẽtis, & ſecunda parte complexionem ex remotione antecedẽtis. Tale eſt in oratione pro Rabirio:

Si interfici Saturninum nefas fuit, arma ſumpta eſſe contra Saturninum ſine ſcelere non poſſunt:
Si arma iure ſumpta concedis,
Interfectum iure concedas neceſſe eſt.

14 Cicero concludit Marcum Antonium, qui Mutinæ Brutum obſidebat, eſſe hoſtem reipublicæ. Argumentũ eſt à diſsimilibus: propoſitio pręcedit: aſſumptio & complexio comprehẽduntur in ſecunda hypótheſi.

15 Duo modi connexi vſum maximum habent in communi ſermonis conſuetudine, multóque frequentius occurrunt, quàm reliquorum generum ſyllogiſmi: tum quia nullũ ferè genus ſit argumẽti, quod non aptè tractari his duobus modis poſſe videatur: tũ quòd pleraque argumenta, quæ ſyllogiſmos ſimplices fugiũt, facilius hac coniuncta diſpoſitione explicantur, vt comparationes parium, maiorum, minorũ, ſimilium, & diſſimilium, notatio, cõiugatio, & alia permulta. Illud autem communiter de duobus connexis annotãdum eſt, nec antecedens, nec conſequens interdum nominatim retineri aut tolli, ſed breuitatis cauſa in aſſumptione & complexione ad retinendum vel tollendum formulas quaſdam adhiberi: cuiuſmodi ſunt, (*Hoc autem*) (*Illud igitur*) vel, (*Primum verum*) (*Verum igitur & poſtremũ*) vel, (*Non illud*) (*Neque hoc igitur*) vel, (*Secundũ falſum*)

(*Igitur & primum*) quales ſyllogiſmos Stoici λογοτρόπους appellabant, vt ait Diogenes in vita Zenonis: & Cicero in Officiis ita diſputat, Idipſum ſi ita eſt, certè violare alterum naturę lege prohibemur: verum autem primum: verum igitur & extremum.

16 Admonitio eſt de connexa propoſitione, quæ interdum efficit ſyllogiſmum ſimplicem, non coniunctum: quia illic argumẽtum ſimpliciter diſponitur, non coniunctè: vt in exemplo Catulli, in quo prædicat ſibi gratam Lesbiam contigiſſe, argumentum eſt à cauſis: & ſyllogiſmus ſimplex tertii modi primi generis: cuius propoſitio connexa eſt in primo diſticho: complexio & aſſumptio ſimul ſunt in reliquis tribus. Illud etiam notabile eſt, ſyllogiſmum ſimplicem ex omnibus connexis partibus fieri poſſe: vt,

Si virtus omnis laudabilis eſt, expetenda eſt:
Si omnis iuſtitia eſt virtus, laudabilis eſt:
Ergo ſi omnis iuſtitia eſt virtus, expetenda eſt.

Hæc connexio concluditur primo modo primi generis ſimplicium ſyllogiſmorum.

Quid Ariſtoteles de connexis ſyllogiſmis?

Nullam artem de his expoſuit in organo dialectico, quã Theophraſtus & Eudemus poſtea ſcriptis prodiderunt ſuis: ac tantum abeſt, vt hoſce modos Ariſtoteles ſyllogiſmos eſſe crediderit, vt interdũ argumenta nominet: velut ſecundo topico locus eſt contradictionis ex inuerſione conſequentium: vt,

Si homo, animal:
Non animal:
Non homo.

Quem ſyllogiſmum eſſe nõ putat Ariſtoteles, ſed duntaxat argumenti locum.

1 Diſiũctus ſyllogiſmus reſtat, id eſt cuius propoſitio diſiuncta eſt: modi eius duo ſunt.

PRIMVS MODVS.

2 Primus modus tollit vnum, vt retineat quod reliquum eſt:

Cæſaris interfectores homicidæ ſunt, aut vindices libertatis:
Non ſunt autem homicidæ:
Sunt igitur vindices libertatis.

Cicero hoc ſyllogiſmo concludit Brutũ, Caſsium, cæteróſque tyrannoctonos vindices eſſe libertatis, 3 Nunquámne intelliges ſtatuẽdum tibi eſſe vtrum illi, qui iſtam rem geſſerunt, homicidæ ſint, an vindices libertatis? Attẽde enim pauliſper, cogitationémque ſobrii hominis ad punctũ temporis ſuſcipe, & ego qui ſum illorum, vt ipſe fateor, familiaris, vt à te arguor, ſocius, nego quicquam eſſe medium: confiteor eos niſi liberatores populi Romani conſeruatoréſque reipublicę ſint, plus quàm ſicarios, plus quàm homicidas, plus quàm parricidas eſſe: ſiquidem eſt atrocius patriæ parentẽ, quàm ſuum occidere. 4 Tu homo ſapiens & conſiderate quid dicis? Si parricidæ, cur honoris cauſa à te ſunt, & in hoc ordine, & ad populum Ro. ſemper appellati? Cur Marcus Brutus te referente legibus eſt ſolutus, ſi ab vrbe plus quàm decem dies abfuiſſet? Cur ludi Apollinares incredibili Marci Bruti honore cele- *Philip. 2.*

„ brati? Cur prouinciæ Caſsio & Bruto datæ?
„ Cur quęſtores additi? Cur legatorum numerus additus? Atque hæc acta per te: non igitur homicidæ. 5 Sequitur vt liberatores tuo iudicio ſint, quandoquidem tertiũ nihil poteſt eſſe. Sic Ouidius de Ponto,

Lib. 2.

6 Aut ego me fallo, nimiáque cupidine lædor:
Aut ſpes exilij commodioris erit.
Nã minus & minus eſt facies in imagine triſtis,
Viſáque ſunt dictis annuere ora meis.
Vera precor fiant timidæ præſagia mentis:
Iuſtáque quanuis eſt, ſit minor ira Dei.

Intelligetur apertius hoc modo:

Aut me fallo, aut exilio leuabor:
Non me autem fallo:
Leuabor igitur exilio.

7 In diſiuncta propoſitione nihil intereſt plura duobus proponãtur: eadem enim tollendi eſt retinendíque ratio. Cicero, 8 Atqui videmus hæc in rerum natura tria fuiſſe, vt aut cum Saturnino eſſet, aut cum bonis, aut lateret: latere mortis erat inſtar turpiſsimæ: cum Saturnino eſſe, furoris & ſceleris: virtus & honeſtas & pudor cum conſulibus eſſe cogebat.

Pro Rab. Perd.

SECVNDVS MODVS.

9 Secũdus modus diſiũctus retinet vnum,

» vt tollat reliquum.[10] Firmus tãtùm eſt,cùm
» omnes propoſitionis partes affirmantur.
» Sic Iuno de Turno ad Iouem,cùm orat vt
» eum conſeruet,

[11] -quid ſiquod voce grauaris, Aenei.10
Mẽte dares,atque hæc Turno rata vita maneret?
Nunc manet inſontem grauis exitus,aut ego veri
Vana feror:quod vt ô potius formidine falſa
Ludar,& in melius tua qui potes orſa reflectas.

» Cicero,[12] Sed cùm eſſet hæc illi propo- Pro Cluẽ.
» ſita cõditio,vt aut iuſtè piéque accuſaret, aut
» acerbè,indignéq; moreretur: accuſare quo-
» quo modo poſſet,quàm illo modo emori ma
luit.Disiuncti vis explicatior ſic erit:

Aut accuſandum,aut moriendum:
Sed accuſandum:
Non igitur moriendum.

Ouidius,

[13] *Nam quòd te iactas Alcmena matre creatum,* 9.Meta.
Iuppiter aut falſus pater eſt,aut crimine verus:
Matris adulterio patrem petis:elige fictum
Eſſe Iouem malis,an te per dedecus ortum.

Cicero vtriuſque diſiuncti vim proponit
» pro Cluentio,Vnum quidem (ait) certè,ne-
» mo erit tam iniquus Cluentio,qui mihi non
» concedat, ſi conſtet corruptum illud eſſe iu-
» dicium,aut ab Habito,aut ab Oppianico eſſe
» corruptum. Si doceo non ab Habito, vinco

„ ab Oppianico. Si oſtẽdo ab Oppianico, pur-
„ go Habitum. Primus igitur ſyllogiſmns ſic eſſet:

Iudicium aut ab Habito, aut ab Oppianico eſt corruptum:
Non eſt autem ab Habito corruptum:
Eſt igitur ab Oppianico.

Secundus ſic:

Iudicium aut ab Habito, aut ab Oppianico eſt corruptum:
Eſt autem ab Oppianico corruptum:
Non igitur ab Habito.

COPVLATA CONCLVSIO.

14 Secundo diſiunĉto ſimilis eſt negantia copulatæ pronũtiationis, in qua tantùm vnũ retinere licet, vt quod reliquum eſt tollatur:

Non & dies & nox eſt:
Dies autem eſt:
Non igitur nox eſt.

1 Diſiunĉtus ſyllogiſmus eſt coniunĉtus ex propoſitione diſiunĉta conſtans: quæ vt vera ſit, conſtans & neceſſaria debet eſſe: vt ſi duas partes diſiunĉtione con iungat, neceſſaria repugnantia coniungat: vt ſimul veræ eſſe non poſsint, nec plus vna vera ſit: ſecus diſiũĉtio falſa iudicatur: vnde quæſtio vera iudicari non poteſt: vt ſi dixeris: Aut dies eſt, aut nox: hæc diſiũĉtio vera fuerit, quia conſtat ex repugnantibus, quorum ſi vnum verum eſt, alterum falſum protinus fuerit. Si verò dixeris: Aut homo diſputat, aut cælum mouetur, diſiunĉtio falſa

eſt: quia partes eius ambæ ſimul veræ ſunt.

2 Primus modus diſiunctus tollit in aſſumptione vnam aut plures partes diſiunctæ propoſitionis, id eſt cõtradictionem aſſumit, vt quod reliquum eſt, retineat in complexione. Idque maximè naturale eſt, vt ſi vera diſiunctio res diſiunctiſsimas & maximè repugnantes continet, quæ nunquam in eodem conſentiunt, earum vna aut pluribus ſublatis in aſſumptione, quę ſuperſunt, retineantur in ipſa complexione. nihil autem intereſt ad conſtantiam ſyllogiſmi, vtram partem tollas aut retineas, antecedentem an cõſequentem, quoniam vtrouis modo fiat, eadem manebit ratio concludendi: vt,

Aut dies, aut nox:
Non autem dies:
Nox igitur. Vel,
Aut dies, aut nox:
Non autem nox:
Dies igitur.

In quibus verò diſiunctis vtraque pars contradictionis includitur, ad tollendam vnam non debemus nominatim contradictionem eius aſſumere: ſed remotionem iſtam ſignificamus quibuſdã particulis & formulis loquendi: vt,

Aut Cicero fuit eloquens, aut Cicero non fuit eloquens.

Ad tollendum conſequens, & retinendum antecedens ſic loquimur, (*Non autem illud*) (*Hoc igitur*) vel, (*Illud autem falſum*) (*Hoc igitur verum*) vel, (*Poſtremum autem ſalſum*) (*Verum igitur primum.*)

3 Argumentum Ciceronis de Caſsio & Bruto ſumitur à repugnantibus. Propoſitio ſyllogiſmi diſiuncta præcedit: Cæſaris interfectores aut homicidæ ſunt, aut vindices libertatis: cuius vis confirmatur collatione minorum.

4 Aſſumptio tollit priorẽ partem diſiunctæ propoſitionis: Cæſaris interfectores non ſunt homicidę: quod probatur teſtimonio & facto Antonij, populíque Ro.

5 Complexio ſequitur,in qua retinetur altera pars diſiunctæ propoſitionis: Cæſaris igitur interfectores ſunt vindices libertatis. Talis eſt ſyllogiſmus apud Terentium in Hecyra,

Segreganda à me mater eſt Phidippe aut Philumena.

Aſſumptio ſequitur ex remotione prioris partis,

Nunc me pietas matris potius commodum ſuadet ſequi.

Complexio paulò pòſt additur, in qua retinetur altera pars diſiunctionis,

Illi exopto, vt reliquam vitam exigat
Cum eo viro, qui me ſit fortunatior:
Quandoquidem illam à me diſtrahit neceſsitas.

Cicero item ſecunda Agraria hoc diſiuncto modo ratiocinatur, Omnia ſunt eiuſmodi, Quirites, vt ea qui habeat ſine veſtris ſuffragiis, aut rex non ferēdus, aut priuatus furioſus eſſe videatur. Perſpicite quanta poteſtas permittitur, non priuatorum inſaniam, ſed intolerantiam regis eſſe dicetis: in quo exemplo tollitur ſecundum, vt retineatur primum.

6 Ouidius ſperat cōmodiorem exilii locum à præſagiis, quæ ſunt ex genere teſtimoniorum. Propoſitio præcedit: *Aut ego me fallo, aut leuabor exilio*: aſſumptio ſequitur in ſecundo diſticho, vbi tollitur primum membrum diſiunctionis: *At ego me non fallo*: idque declaratur à præſagiis. Complexio eſt in tertio diſticho cum quadam optatione.

7 In diſiuncta propoſitione ſi partes duabus plures ſint, licebit vel vnā tollere, vt reliquas retineas: vt,

Equus aut eſt planta, aut homo, aut beſtia:
Non eſt autem planta:
Eſt igitur equus homo vel beſtia.

Vel omnes tollere, præter vnam: vt,

Equus aut eſt planta, aut homo, aut beſtia:
Non eſt autem planta, neque homo:
Eſt igitur equus beſtia.

Idque duntaxat eſt in hoc modo obſeruandum, vt diſ-

iunĉti enuntiati partes, quæ in aſſumptione nõ tollentur, retineantur in complexione.

8 Cicero concludit Caium Rabirium debuiſſe in armis eſſe cum Caio Mario & Lucio Valerio conſulibus: Argumentum eſt à repugnantibus. Propoſitio diſiunĉta eſt trium partium, quarum duæ in aſſumptione tolluntur, & tertia in complexione retinetur.

9 Secũdus modus diſiũĉtus retinet in aſſumptione partem diſiũĉtionis, vt in cõplexione reliquam partem tollat: qui licet minus frequens & vſitatus ſit, quàm primus, incidit tamen aliquando: vt apud Terentium,

Vis amare, vis potiri, vis quod des illi, effici,
Tuum eſſe in potiundo periculum non vis: haud ſtultè ſapis:
Siquidem id ſapere eſt, velle te id quod non poteſt contingere: aut
Hæc illis habenda ſunt, aut cum his illa amittenda ſunt:
Harum duarum conditionum vtram malis, vide.

10 Si diſiunĉtæ propoſitionis pars altera vel vtraque negetur, ſyllogiſmus in hoc genere firmus & conſtans non erit: quia in quibuſdam exemplis reperietur inconſequens: vt,

Aut decem poterunt, aut vnus non poterit:
At decem poterunt:
Vnus igitur poterit.

Propoſitione & aſſumptione veris complexio falſa ſequitur: quod eſt contra regulam ſyllogiſmi.

11 Exemplum Virgilii breuius ita concluditur:

Aut periculum impendet Turno, aut ego fallor:
At ego fallor:
Non igitur periculum impendet Turno.

Summa petitionis eſt in duobus primis verſibus: propoſitio diſiũĉta in tertio: aſſumptio in quarto: complexio in quinto.

12 Cicero purgat Cluentium, quòd Oppianicum vitricum ſuum accuſaſſet veneficii. Argumentum eſt ex repugnantibus: ſyllogiſmus diſiunĉtus ſecundi modi.

13 Achelous deus apud Ouidiũ de Deianyrá virgine pulcherrima cum Hercule contendit & altercatur, vt hanc habeat: vbi irridet Herculeum genus à Ioue. Argumentum ſic diſponitur:

Aut Iupiter eſt verus pater Herculis, aut falſus:
Verus autem pater eſt:
Non igitur falſus.

Vnde conſtat Herculẽ turpi adulterió Iouis eſſe creatũ.

14 Secundum modum diſiunctum copulatió negans imitatur: quæ ſi vera eſt, indicat partes ſimul veras eſſe non poſſe: quare ſi vnam retineas, altera rectè tolletur: vt,

Non & albus homo eſt, & niger:
Eſt autem albus:
Non igitur niger.

Si verò vnam tollas, vt altera retineatur, vitioſe concludes: vt,

Non & albus homo eſt, & niger:
Non eſt autem albus:
Eſt igitur niger.

Hic ſyllogiſmus vitioſus eſt, & inconſequens, quia antecedentibus veris complexio falſa efficitur: & quanuis in contrariis, quæ medio carent, hic error nõ appareat, non tamen id fit ratione diſpoſitionis, ſed propter naturam contrariorũ, quorum ſi vnum abſit, alterum protinus adeſſe neceſſe ſit: vt,

Non & dies & nox:
Non eſt autem dies:
Nox igitur eſt.

Hic ſyllogiſmus non eſt conſtans, quia in aliis exemplis, ſi talem diſpoſitionem ſequare, interdum errabis, vt antè docuimus. Cicero tamen in Topicis hunc modum probat, Septimus modus ait,

Non & hoc & illud:
Non autem hoc:
Illud igitur.

Sed Cicero fallitur, vt conſtat exemplo:

Equus non & homo eſt & lapis:
Equus autem non eſt homo:
Equus igitur eſt lapis.

Quid Ariſtoteles de ſyllogiſmo disiuncto, & eius duobus modis?

Nihil in organo dialectico præcepit, & hãc doctrinam quaſi ignoraret, aut nullam eſſe putaret, intactam reliquit: totámque, vt paucis dicam, coniunctorum ſyllogiſmorum artem prætermiſit.

DE ENTHYMEMATE.

1 Syllogiſmorum ſpecies & modi præterea nulli ſunt. Nomina tamen quædam reſtant explicanda, quæ nouas argumentationis & ſyllogiſmi ſpecies ſignificare vulgò exiſtimãtur: Enthymema, Inductio, Exẽplũ, Dilemma, Sorites: de enthymemate, facilius eſt expedire. 2 Syllogiſmus in hominum ſermone perrarò partibus omnibus abſoluitur, aliàs propoſitio deeſt, aliàs aſſumptio. Id cũ fit, enthymema nominatur: ſyllogiſmus quippe truncatus & imperfectus. Vtrunque vno
„ exemplo demonſtrare poſſumus, 3 At ſperat *Cic. de Senectute.*
„ adoleſcens diu ſe victurũ, quod ſperare idem
„ ſenex non poteſt. Inſipienter ſperat. Quid e-
„ nim eſt ſtultius, quàm incerta pro certis ha-
„ bere, falſa pro veris? 4 Senex nec quod ſpe-
„ ret habet. At eſt eo meliore conditione,
„ quàm adoleſcens: cùm id quod ille ſperat,

» hic aſſequutus ſit. Ille vult diu viuere, hic diu
» vixit. In prima prolepſi deeſt aſſumptio, in ſecunda propoſitio: quibus additis ſyllogiſmos ita perfice.

Primum ſic:

Incerta pro certis habere, falſa pro veris, ſtultitia ſumma eſt:

Adoleſcens ſperans ſe diu victurum, habet incerta pro certis, falſa pro veris:

Adoleſcenti igitur ſperare ſe diu victurum ſumma ſtultitia eſt.

Secundum ſic:

Qui aſſequutus eſt, meliore eſt conditione, quàm qui ſperat:

Senex aſſequutus eſt longam vitam, quam ſperat adoleſcens:

Senex igitur eo meliore eſt conditione quàm adoleſcens.

Tot autem enthymematum ſpecies ſunt, quot ſyllogiſmorum: imò duplo plures. In vnoquoque enim concluſionum & ſimplicium & cõiunctarũ modo detracta vel propoſitione vel aſſumptione fit enthymema.

INDVCTIO.

5 Inductio non eſt argumentationis nomen, ſed argumenti ex diſtributionis loco ſumpti. Nam cũ partes enumerantur ad con-

cludendũ totum, inductio vocatur: vt apud Ouidium,

6 *Materiámque tuis triſtem virtutibus imple,* 4.*Triſt.*
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis noſſet, fœlix ſi Troia fuiſſet?
Publica virtutis per mala facta via eſt.
Ars tua Tiphy iacet, ſi non ſit in æquore fluctus:
Si valeant homines, ars tua Phœbe iacet.
Quæ latet, ínque bonis ceſſat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguitúrque malis.

EXEMPLVM.

7 Exemplum item nomen eſt argumenti, non argumẽtationis, & ferè ſpecies eſt rerum, de quibus agitur: & hoc ſolo differt ab inductione, quòd inductio aut omnes, aut complures partes colligit. Exemplum vnam tantũ ſumit, vt ſi tãtũmodo dixiſſet Ouidius,

Materiámque tuis triſtem virtutibus imple, 4.*Triſt.*
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis noſſet, fœlix ſi Troia fuiſſet?
Publica virtutis per mala facta via eſt.

Nihil igitur ad iudiciũ inductio & exemplum pertinent, ſed ad inuentionis locum de partibus.

DILEMMA.

8 Dilemma ſimiliter argumẽti nomen ex diſſentaneis aſſumpti ſignificat, & ferè pro-

poſitio eſt ſyllogiſmi ſine aſſumptione, quale eſt illud [9] Protagorę aduerſus Euathlum pro dimidio promiſſæ mercedis pretio litigātis, quod perſoluturus erat Euathlus, cùm primùm cauſam aliquã egiſſet, obtinuiſſétque. Ita cùm ſpe fallendi præceptoris ad forũ tardius accederet, ſic eſt eũ Protagoras aggreſ-
» ſus, Diſce (inquit) Euathle adoleſcens, vtro-
» que id fore modo vti reddas, quod peto, ſiue
» contra te pronũtiatum erit, ſiue pro te. Nam
» ſi contra te lis data erit, merces mihi ex ſen-
» tẽtia debebitur, quia ego vicero: ſin verò ſe-
» cundum te iudicatũ erit, merces mihi ex pa-
» cto debebitur, quia tu viceris. Ad ea reſpon-
» dit Euathlus, Potui (inquit) huic tuæ tam an-
» cipiti captioni iiſſe obuiam, ſi verba non ipſe
» facerem, ſed alio patrono vterer. Sed mihi in
» iſta victoria proludiũ eſt, cùm te non in cau-
» ſa tantùm, ſed in argumẽto quoque iſto vin-
» co. Diſce igitur tu quoque magiſter ſapien-
» tiſsime, vtroque modo fieri vti non reddam
» quod petis, ſiue contra me pronuntiatũ fue-
» rit, ſiue pro me. Nam ſi iudices pro mea cau-
» ſa ſenſerint, nihil tibi ex ſentẽtia debebitur,
» quia ego vicero: ſin contra me pronũtiaue-
» rint, nihil tibi ex pacto debebo, quia ego non
» vicero. Hæc Gellius. Quæſtio igitur nuda ſtatuatur hoc modo: An quicquid pronun-

tiauerint iudices,debeat Euathlus . Syllogiſmi ex propoſitis dilemmatis duo ita perficientur.

Primus hoc modo:

Si pronuntiatum erit contra te, debebis ex ſententia:ſi ſecundum te,ex pacto:
Sed hoc,aut illud:
Debebis igitur.

Secundus hoc modo:

Si iudices ſenſerint pro me,nihil ex ſententia:ſi cōtra,nihil ex pacto debebo:
At hoc,aut illud:
Nihil igitur debebo.

Ita vides dilemma propoſitionem eſſe ſyllogiſmi,cuius vis intelligitur planius aſſumptione & concluſione additis , ſed captiuncula eſt interpoſita, quæ pacti voluntate & æquitate interpretanda eſt, nō verbis diſtinguenda.Martialis breuius eſt dilēma ad Domitianum,cùm petit ius trium natorum,

10 *Hæc,ſi diſplicui,fuerint ſolatia nobis:* *Lib.2.*
Hæc fuerint nobis præmia,ſi placui.

Adde huic propoſitioni aſſumptionem,
Sed hoc,aut illud:
Tum conclude,
Quare ſolatia erunt, vel præmia, quæ dabis.

SORITES

11 Sorites ſyllogiſmus ferè plenus eſt,ſed

aſſumptio ſæpe præponitur, & pronũtiationes variæ interiectæ commiſcentur. Ita in vnum ſoritem multi ſæpe ſunt incluſi ſyllogiſmi. Atque hoc genus ideo lubricum eſt & periculoſum, quia in hac gradationis continuatione non ſatis cohærentia interdum copulantur. Dum enim minutatim & gradatim aliquid additur, & paulatim congeſtis granis aceruus efficitur, captioſiſsima tela texitur ad illaqueandum ſimplices, & imperitos irretiendum: Sed facilè retexetur, ſi ad ſyllogiſmi leges membratim referatur. Quemadmodum Lucullus apud Ciceronem ſoritem Academicum perpẽdit, quem primùm hoc modo proponit,[12] Sic enim, ait, aſcenditis:
„ ſi tale viſum obiectum à deo dormienti, vt
„ probabile ſit, cur non etiam vt valde veriſi-
„ mile? cur nõ demum vt difficulter à vero in-
„ ternoſcatur? deinde vt ne internoſcatur qui-
„ dem? poſtremò vt nihil inter hoc & illud in-
„ terſit? Deinde ita retexit reſoluítque,[13] Huc
„ ſi perueneris, ait, me tibi primum quodque
„ concedente, meum vitium fuerit, ſi ipſe tua
„ ſponte proceſſeris, tuum. Quis enim tibi de-
„ derit aut omnia deũ poſſe, aut ita facturum
„ eſſe, ſi poſsit? quomodo autẽ ſumis, vt ſi quid
„ cui ſimile eſſe poſsit, ſequatur etiam vt diffi-
„ culter internoſci poſsit? deinde vt ne vix no-

„ ſci quidem? poſtremò vt eadem ſint, vt ſi lupi „ canibus ſimiles, eoſdem dices ad extremum. Horatius,

14 *Damnoſa quid non imminuit dies?*
Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem. *Lib. 3. car.*

15 Sorites aliquando cõcludit apertius, vt „ tertio Officiorum apud Ciceronem, Atque „ ſi etiam hoc natura præſcribit, vt homo ho„ mini, quicunque ſit, ob eam ipſam cauſam, „ quòd is homo ſit, conſultum velit: neceſſe eſt „ ſecundum eandem naturam omnium vtili„ tatem eſſe communem. Quod ſi ita eſt, vna „ cõtinemur omnes & eadem lege naturæ: íd„ que ipſum ſi ita eſt, certè violare alterum le„ ge naturæ prohibemur: Verum autem pri„ mum: Verum igitur & extremum.

1 Dialectici & rhetores præter ſyllogiſmum multas alias argumentationis ſpecies faciunt, vt enthymema, inductionem, exẽplum, dilemma, ſoritem: quæ tamen dialecticæ argumentationes, id eſt, firmæ & conſtantes non ſunt: quia per eas nihil conſtanter ad iudicandũ concludi poteſt: ſed enthymema ſyllogiſmus eſt truncatus, qui ſi perficitur, nõ alia arte, quàm prius expoſita perficitur: Inductio & exemplum nomina ſunt argumenti potius quàm argumentationis, & ad locum diuiſionis pertinẽt: Dilemma item argumentum eſt, & ſæpe propoſitio cuiuſdã futuri ſyllogiſmi: Sorites verò ſi ſyllogismus eſt implicatus, nullis nouis præceptis & decretis indiget: ſi verò ſyllogiſmus non eſt, neque ar-

gumentatio dici poteſt:vnde conſtat pręter ſyllogiſmũ nullam eſſe argumenti dialecticè & legitimè diſponẽdi regulam. verùm ne homines eius artis ignari authoritate rhetorum & dilecticorum fallantur, de his quinque nominibus admonendi gratia aliquid poſt ſyllogiſmi doctrinam dicendum fuit.

2 Syllogiſmi in hominum ſermone raro perfecti inueniuntur duabus de cauſis,& quia non ſemper neceſſe eſt pleno vti ſyllogiſmo, cũ propoſitio vel aſſumptio ſit clarior,quàm vt exprimi debeat:& quia ſæpe difficile eſt tã accuratè,támque ſubtiliter ad artis normam argumentari:nec niſi ſummis & excellentibus ingeniis hæc perfectè concludendi vis & facultas conceditur.

3 Cato apud Ciceronẽ confirmat adoleſcentis ſpem de longiore vita vanam & ſtultam eſſe, ab adiũctis. Enthymema eſt ex complexione & propoſitione, quibus ſi aſſumptio addatur,ſyllogiſmus erit ſimplex primi modi primi generis.

4 Cato diſputat ſenem eſſe feliciorem adoleſcente,ab adiunctis vtriuſque: enthymema eſt ex complexione & aſſumptione,quibus ſi addatur propoſitio,ſyllogiſmus erit ſimplex primi modi primi generis.

Quid rhetores & Ariſtoteles de Enthymemate?

Enthymema Fabius commẽtum & commentationem interpretatur:quod,vt ipſe ait,triplicem habet intellectum:vnum, quo omnia mente cõcepta ſignificat, de quo nunc non loquemur: alterum, quo ſententiam cum ratione,tertium,quo certam quandam argumenti concluſionem ex conſequentibus, vel repugnantibus, quæ habet propoſitionem,coniunctámque ei protinus probationem: qualis eſt pro Ligario,Cauſa tum dubia, quòd erat aliquid in vtraque parte, quod probari poſſet:nunc etiam melior ea iudicanda eſt,quam dii adiuuerunt. habet enim rationem & propoſitionem,nõ au-

tem cõcluſionem, vt ait Fabius: quò in loco ignoratione dialecticæ vehementer errat: in hoc enim exemplo duo ſunt enthymemata, in quibus non cõcluſiones, ſed propoſitiones deſiderantur, vnde ſyllogiſmi duo fieri poſſunt. Primus ſic:

Cauſa vtraque parte probabilis eſt dubia:
Contentio Pompeij & Cæſaris erat cauſa vtraque parte probabilis:
Hæc igitur erat cauſa dubia.

Secundus ſic:

Cauſa quam dij adiuuant, melior eſt:
Contentio Cæſaris fuit à diis adiuta:
Hæc igitur melior erat.

In enthymemate autem rhetorum, quod à repugnãtibus vocatur, plerunque aſſumptionis & complexionis ſententia latet: vt,

Eam quam nihil accuſas, damnas,

Tantum valet, ac ſi dicas,

Mulierem non accuſas:
Damnare igitur non debes.

Cui ſi propoſitio addatur,

Quæ nihil accuſatur, damnanda non eſt,

Syllogiſmus perfectus erit, & abſolutus.

Ariſtoteles capite viceſimo ſeptimo libri ſecũdi priorũ Analyticorũ, Enthymema, inquit, ſyllogiſmus eſt imperfectus ex probabilibus & ſignis: in qua definitione duo poſtrema vitioſe redundant: quia tam ex neceſſariis quàm probabilibus, & tam ex falſis quàm veris enthymema fit: nec intereſt ad intelligentiam enthymematis ex quo argumento fiat, ſed hoc duntaxat præcipiendũ eſt, quod Ariſtoteles ibidem præcipit, ex omni ſyllogiſmo detractione partis enthymema, itémque ex omni enthymemate adiunctione partis, quæ deeſt, ſyllogiſmum fieri.

¶ Inductio argumentum eſt, cùm ex omnibus, aut multis partibus totum affirmatè aut negatè demõſtra-

tur:ſubiícitúrque loco diſtributionis, vnde ſunt partes & totũ. Itaque malè & vitioſe inductio numeratur inter ſpecies argumentationis, præſertim cùm nullam ſignificet argumenti legitimè diſponendi conſtanté certámque regulam, ſed ſimpliciter argumentum quoddã diuiſionis à partibus ad totum.

6 Ouidius ad conſolandam vxorem ſuam diſputat virtutis laudem in rebus arduis verſari: argumentum eſt ab exemplis ſpecialibus, vnde totum concluditur:

Virtus militis in rebus arduis excellit:
Itémque virtus nautæ, & virtus medici:
Virtus igitur in rebus arduis excellit.

Quid Ariſtoteles de inductione?

Ariſtoteles primo Topico ἐπαγωγὴν, id eſt inductioné definit progreſsionem à rebus ſpecialibus ad cõcluſionem rei vniuerſæ deductam: vt,

Si optimus eſt gubernator, qui eſt eruditus:
Si auriga optimus, qui eruditus:
In omni re is optimus, qui eruditus.

Quod exemplum potius argumenti ſpecies eſt, ex enumeratione partium, quàm diſpoſitionis: & ſi hoc argumentum legitimè diſponatur, nõ alia arte, quàm ſyllogiſmi diſponetur: vt ſi dixeris,

Omnis homo ſentit:
Et omnis beſtia ſentit:
Ergo omne animal ſentit.

Addita aſſumptione, *Omne animal eſt homo vel beſtia*, ſyllogiſmus erit abſolutus. Nec audiendus eſt Ariſtoteles, qui in Analyticis prioribus capite viceſimotertio libri ſecũdi inductionem diſtinguit à ſyllogiſmo: quòd hic maius extremum de minore per medium, illa maius extremũ de medio per minus concludit. nam ſi medii nomine argumentum intelligit, idem argumentum quod in inductione ſumitur, medium & argumentum ſyllogiſmi poteſt eſſe: ſin autem medium vocat quod in-

ter ſuperius & inferius interiectũ eſt in vno & eodem ordine categoriæ, vehementer errat Ariſtoteles, quia in hoc ſyllogiſmo,

Socrates eſt homo,
Socrates eſt ſubſtantia,
Ergo quædam ſubſtantia eſt homo:

Argumentum(*Socrates*)inter hominem & ſubſtantiam hoc modo medium non eſt. Quare Ariſtoteles nõ ſatis verè,nec ſatis aptè inductioné à ſyllogiſmo diſtinguit.

7 Exemplum nomen eſt argumenti aliâs ex diuiſione ſumpti,vt cùm ſpeciale eſt:aliâs ex loco comparationis,cùm par,aut maius, aut minus, aut ſimile,aut diſsimile ad diſputandum ſumitur: quemadmodum ſuperiore libro docuimus.

Quid Ariſtoteles de exemplo?

Ariſtoteles παράδειγμα,id eſt exemplum argumẽtationis ſpeciem facit,& definit his verbis, cùm extremum ineſſe medio demonſtratur per aliquid tertio ſimile:quæ definitio coarguit exemplum potius argumentum eſſe aut probationem propoſitionis,quàm argumentationis ſpeciem:vt ſi velis argumentari,

Bellum contra finitimos eſt malum:

Et hanc propoſitionem confirmes exemplo:vt,

Bellum Thebanorum contra Phocenſes finitimos malum fuit.

Syllogiſmus addita aſſumptione & complexione apud Ariſtotelem ita perficitur:

Bellum Athenienſium aduerſus Thebanos eſt bellum aduerſus finitimos:
Bellum igitur Athenienſium aduerſus Thebanos malum eſt.

Vides itaque in hoc Ariſtotelico exemplo ſyllogiſmũ ſimplicem eſſe & perfectum,cuius propoſitio probatur exemplo ſingulari,nec præter ſyllogiſmũ vllam aliam eſſe ſpeciem argumentationis.

8 Dilemma dicitur ab aliis ſyllogiſmus cornutus, ab aliis argumentum res diſſentaneas complectens, & ex vtraque parte contraria capiens aduerſarium: quaſi gemina & duplicata captio quoquò te verteris, cõſtringens: quale illud eſt Varronis Academico primo, vbi diſputat non eſſe Latinè philoſophandum, Cùm viderem, inquit, philoſophiam Græcis literis diligentiſsimè explicatam, exiſtimaui ſi qui de noſtris eius ſtudio tenerentur, ſi eſſent Græcis literis eruditi, Græca potius quàm noſtra lecturos: ſin à Græcorum artibus & diſciplinis abhorrerent, ne hæc quidem curaturos, quæ ſine eruditione Græca intelligi nõ poſſunt: itaque ea ſcribere nolui, quæ nec indocti intelligere poſſent, nec docti legere curarent. quod dilẽma Cicero retorſit in Varronem his verbis, Imò verò & Latina legent, qui Græca non poterũt, & qui Gręca poterũt, non cõtemnent ſua.

9 Protagoras Abderites docuit in Græcia plus quàm quadraginta annis, vt ait Plato in Menone: primúſque mercedem docendæ ſapientiæ petiit, & centum minas à ſingulis diſcipulis exigebat: ab hoc Euathlus decem millibus denariorum artem dicendi didiciſſe dicitur, vt ait Fabius cap. 1. lib. 3. cuius pecuniæ dimidium pactus erat ſe perſoluturum, cùm primùm cauſam aliquam in foro egiſſet, & viciſſet: quod cùm tardius faceret, Protagoras eum in iudiciũ vocauit, in eúmque dilemma contorſit: in quem Euathlus aliud dilemma etiam repentè retorſit. vide Gellium cap. 10. lib. 5.

10 Martialis petit à Domitiano ius trium liberorum, vt cùm aliquid viritim diſtribuetur, portionẽ pro tribus liberis accipiat: argumentũ eſt à diſſentaneis, quę ſunt adiuncta partium quæſtionis. Syllogiſmi connexi primi propoſitio ſola eſt, quæ continet dilemma.

11 Σωρείτης à Græcis nominatur ἀπὸ τοῦ σωροῦ id eſt ab aceruo, & congerie multarum rerum, ex quibus efficitur. Cicero libro ſecundo de Diuinatione acerualem interpretatur, Quemadmodum, inquit, Soriti reſiſtas?

quem ſi neceſſe ſit, Latino verbo liceat acerualem appellare: ſed nihil opus eſt: vt enim ipſa philoſophia, & multa verba Græcorũ, ſic Sorites ſatis Latino ſermone tritus eſt. Hoc argumẽtandi genere Zeno & Chryſippus maximè delectati ſunt, quòd & inſidiis captioſum, & probationũ, quæ ſumuntur, numero pugnax & forte videretur: vnde Perſius ſatyra ſexta ait,

Rem duplica: feci: iam triplex, iam mihi quartò,
Iam decies redit in rugam: depinge vbi ſiſtam
Inuentus Chryſippe tui finitor acerui.

Vulgò dici ſolet argumẽtatio de primo ad vltimum: vt,

Quod bonum ſit, id eſſe optabile:
Quod optabile, id eſſe expetendum:
Quod expetendum, id eſſe laudabile:
Quod laudabile, id eſſe honeſtum:
Ergo quod bonum ſit, id eſſe honeſtum.

Simili gradatione Mneſarchus vtitur apud Ciceronem libro primo de Oratore, Atque ipſam eloquentiá, quòd ex bene dicendi ſcientia conſtaret, vnam quãdam eſſe virtutem, & qui vnam virtutem haberet, omnes habere, eáſque ipſas eſſe inter ſe æquales & pares. Ita qui eſſet eloquens, eum virtutes omnes babere, atque eſſe ſapientem. Sed hæc, ait Antonius, erat ſpinoſa quædã & exilis oratio, longéque à noſtris ſenſibus abhorrebat.

12 In Sorite Luculli quatuor ſunt gradus, vnde tres ſyllogiſmi exiſtunt. Primus ſic:

Si viſum veriſimile eſt, vix à vero internoſcitur:
Si probabile eſt, veriſimile eſt:
Ergo ſi viſum probabile, vix à vero internoſcitur.

Secundus ſic:

Si vix à vero internoſcitur, ne internoſcitur quidẽ:
Si veriſimile eſt, vix à vero internoſcitur:
Ergo ſi veriſimile eſt, ne internoſcitur quidem.

Tertius ſic:

Si non internoſcitur, nihil inter hoc & illud intereſt:

Si vix internoſcitur, ne internoſcitur quidem:
Ergo ſi vix internoſcitur, nihil inter hoc & illud intereſt.

13 Sorites Academicus refellitur à Lucullo per ſingulos gradus.

14 Horatius exclamat hominum mores vnà cum tempore magis atque magis corrumpi, ídque docet Sorite trium graduum.

15 Cicero concludit iniuſtitiam eſſe contra naturam: Sorites eſt trium graduum, vbi tres propoſitiones ponũtur pro fundamẽto vnius ſyllogiſmi, vel duæ priores confirmant tertiam: qualis gradatio vulgò in ſcholis, vt antè dixi, de primo ad vltimum vocatur.

PERORATIO SYLlogiſmi.

1 Nulla igitur præter ſyllogiſmum diſponendi argumenti regula eſt: in eóque ſolo omnis ars humani iudicii conſiſtit: ideóque hæc pars dialecticæ à veteribus iudicium nominatur: quia ſyllogiſmi doctrina omnẽ iudicii dialectici doctrinam contineat. In ſyllogiſmi autem modis omnibus expoſitis iudicandi ratio duplex ex duplici ſyllogiſmi diſtributione conſideranda eſt: altera in partibus, propoſitione, aſſumptione, quàm verę ſint, an propoſitio certa ſit, an aſſumptio firma. 2 In propoſitione autem & aſſumptione iudicium naturæ totum eſt, artis omnino nihil habet. Nulla enim præceptio in dialecticis eſt, nec eſſe poteſt vlla, quæ doceat ve-

rum aut falſum eſſe ſimplex & ſolitarium, id eſt, nulla aliena luce colluſtratum pronũtiatum. In partibus igitur vt fidẽ aſſenſionémque mereantur, notiones ſua ſponte probabiles & credibiles eſſe neceſſe eſt: ſecus nulla concluſio futura ſit. Quòd ſi de propoſitione vel aſſumptione iudiciũ naturæ dubium fuerit, eius partis noua quæſtio exiſtet, nouóque probanda argumento. 3 In poſteriore conſideratione iudicii propoſitionis, aſſumptionis, complexionis ſpecies collocatióque cernitur, an conſtãter & legitimè diſpoſitæ ordinatęque ſint, & ad quem modum concluſę. In quo natura adiuuatur arte: non enim ſolùm naturæ lumen eſt in ea diſpoſitione: ſed etiam doctrinæ, quemadmodum in præceptis eſt explicatum. 4 Quamobrem omnis iudicii principium in priore cogitatione & meditatione ſitum eſt. Primũ illud & vnicum fundamentum eſt, quo reliqua iudicii prudentia nititur. Natura enim ex eo propoſitionis atque aſſumptionis abundanti lumine velut ſcintillam quandam ad illuminandam complexionem arti fœneratur: nec omnino in ſyllogiſmo ars admonet aliud, quàm ex duorum legitimè diſpoſitorum manifeſta veritate dubitationẽ propoſitæ quæſtionis tollere: 5 quod quãtum ſit, quámque

admirabile,non tantùm ex his, quæ produximus,ſed infinitis aliis exẽplis intelligi poteſt:in quibus hæc regula demonſtrat nihil penè firmum, nihil conſtans, nihil neceſſarium,quod tutò ſequamur,effici atque concludi. Vnde fortaſſe Socrates, & Socratis æmulatores academicis ἐποχὴν,id eſt aſſenſiònis retentionẽ induxerunt,quòd veri ac prudentis iudicis eſſet, tãquam boni agitatoris currum & equos:ſic in lubricis locis approbationem & aſſertionẽ ſuſtinere, & ab omni lapſu temeritatem continere, quæ tum ridicula & inſignis eſſet, cùm ſe rebus incertis, aut falſis aſſenſus adiungeret.7 Quãdo verò pleno ſyllogiſmo,quando truncato,quando hoc vel illo commutatis partibus ordine vtendum ſit,nõ nouę artis eſt,ſed huius iſtius dialecticæ doctrinæ, quã adhuc tradidimus. Quæſtio enim ponitur an ſic agendum ſit, argumento reperto, pérque ſyllogiſmi ſpeciem collocato,quæſtio iudicatur. Syllogiſmis plenis nulla ars perpetuò vtitur: contrà verò nullo perfecto ſyllogiſmo cõtexta perfectáque poteſt eſſe quæuis diſciplina.8 Tota ratio iſta eſt rerum, perſonarum, locorum, temporum:nec vlla noua dialecticæ virtute opus eſt,ſed inuentionis,ſed ſyllogiſmi præceptis antecedentibus tota eſt contenta. Ad

iudicii conſtantiam plena concluſio fortior interdum erit, interdum etiã ridicula, ſi pars altera notior & clarior erit.[9] Summam igitur eſſe meminerimus videre quid deceat, quid conueniat. Quod conſilium in expoſita dialecticæ facultate penitus reconditũ eſt. Atque hæc de ſyllogiſmo: quẽ ſatis, opinor, percepimus [10] regulam quandã eſſe auream, qua verè honeſta, veréque turpia, verè iuſta, veréque iniuſta, verè vtilia, veréque inutilia, verè expetenda, veréque fugienda, vera denique omnibus in rebus & falſa iudicentur. [11] Quale iudicium in hominibus penè extinctum eſt: amore enim, odio, inuidia, commiſeratione, metu, cupiditate, cęteríſque animi fallacibus affectibus quiduis potius æſtimamus, quàm vera ratione ſolidóque iudicio probamus.[12] Excitandum igitur & renouandum verum animi iudicium & [13] conſtantia ſyllogiſmi ac veritate conſtituendum: ſecus leuitas, error, temeritas erit omnis aſſertio noſtra, non iudicium. De Methodo iam dicendum eſt.

1 Cùm tres ſint in ſyllogiſmo partes, propoſitio, aſſumptio, & cõplexio, ſyllogiſmus equidẽ de duabus primis partibus non iudicat, ſed tantùm de complexione. Quare in partibus ſyllogiſmi duplex iudicandi ratio cõſideratur, vna quæ non inſtruitur præceptis & regulis ſyllogiſmorum, ſed adiuuatur partim vſu & conſuetu-

dine, qua veritas aut falſitas harum partium æſtimatur: altera de complexione, quæ præceptis ſyllogiſmi & regulis informatur. Ars igitur ſyllogiſmi nõ docet veram eſſe propoſitionem vel aſſumptionem, ſed hoc præcipit, ſi in legitima & recta argumenti collocatione propoſitio & aſſumptio veræ & perſpicuæ fuerint, vt complexio, quæ ex his efficitur, ſine dubio vera iudicetur. Quare cùm tres ſint in ſyllogiſmo partes, propoſitio, aſſumptio & complexio, dialectica ars ſyllogiſmi hoc tãtum nobis pollicetur, vt per eam iudicium de complexionis veritate vel falſitate faciamus.

2 Primum iudicium de propoſitione & aſſumptione nihil artis dialecticæ habet, quia regula & ars ſyllogiſmi hoc tantùm præſcribit, vt complexionem probemus, cùm propoſitionis & aſſumptionis luce colluſtrata fuerit: & ob eam cauſam ſumendæ ſunt in ſyllogiſmo duæ priores partes notæ & probatæ: quia niſi prius cõcedantur, nunquam ad iudicandam veram complexionẽ hac arte perueniemus. Quòd ſi de propoſitione vel aſſumptione dubites, pars ipſa dubia migrabit in quæſtionem, & ad eam confirmandam nouum argumẽtum quæretur, nouúſque fiet ſyllogiſmus, in quo pars dubia concludetur & æſtimabitur. Quare per ſyllogiſmũ ſola complexio qualis ſit, iudicatur: propoſitio & aſſumptio non iudicantur: quarũ ſi alterutra dubia eſt, alio, vt dixi, argumento probatur atque concluditur.

3 Secundum iudicium, quo iudicatur de complexione, duas res conſiderat: vnam, vt ſyllogiſmus ſit legitimè & artificioſe compoſitus: alteram, vt antecedẽtibus veris probatis & conceſsis cõplexio vera probetur & concedatur.

4 Naturæ iudicium de duabus primis ſyllogiſmi partibus quemadmodũ prius eſt artificioſo iudicio, quo ipſa complexio iudicatur, ita illuſtrius & euidẽtius eſſe debet. Idque declaratur ſimilitudine: nam vt ſol lunæ, & reliquis ſtellis lumen ſuum fœneratur, quo luceant,

ſic perſpicua veritas propoſitionis & aſſumptionis lumen concluſioni tribuit, quo vera & perſpicua iudicetur & approbetur.

5 Quàm admirabile & arduum ſit de re aliqua iudicare,& exempla in modis & generibus ſyllogiſmorum citata,& infinita alia indicant, teſtantúrque multos authores licet ſummos & excellentes, parum tamẽ acutè vidiſſe quid eſſet verum,& ex rebus nõ ſatis perſpectis & probatis plerũque aliquid cõcluſiſſe tanquam verum & certum, in quo vehementer hallucinati ſunt.

6 Ἐποχὴ propriè dicitur ructis impetus inhibitio, vt cùm auriga ſuſtinet equos ſuos ad currum, ne nimia celeritate præcipites agãtur:& per metaphoram ſignificat approbationis retẽtionem,cùm in his rebus, quas non certa ſciẽtia tenemus,nihil temerè affirmamus aut approbamus,ſed prudenter iudicium noſtrum ſuſpendimus:qua ratione doctus Socrates dicebat ſe arbitrari hoc vnum ſcire,quòd nihil ſciret, quia videbat tantam eſſe caliginem humanæ mentis, vt perſpicua cognitione nihil comprehenderet,ſed velut vmbram rerũ tantùm intueretur:quam ſententiã ſecuti Academici noui Socraticam illam ἐποχὴν in philoſophia retinuerunt.

7 Alterũ caput perorationis eſt de vſu ſyllogiſmi, de quo cùm deliberamus,ſyllogiſmo ipſo ad deliberãdum vtimur,vt ſi quid eſt ſubtiliter diſputandum,materies ipſa ſyllogiſmos crebros & perfectos requirit: quo modo quæſtiones multæ à philoſophis diſputãtur.Sin populariter agendum eſt,aut familiariter docendũ aliquid,tum ſyllogiſmus non multum quæritur : vt in hiſtoria, in poeſi, in quotidiano & familiari hominum ſermone.

8 Res quæ in artibus traduntur,iudicatæ & probatæ eſſe debent,nec idcirco traduntur,vt probentur, ſed vt clarè & perſpicuè doceãtur.Itaque tametſi aliquando ſyllogiſmus incidere poteſt in artem,cùm ea res quę dubia videri poſsit,probatur : id tamen raròaccidet in

arte bene tradita & explicata, quæ definitionibus, partitionibus, & exemplis via & ordine collocatis ferè tota contexitur, vt in præceptis methodi mox dicetur.

9 Deliberatio de vſu ſyllogiſmi pendet ex circunſtantiis rerum, perſonarum, locorum, temporum: quædam enim res argumentationem deſiderant, qua probentur, & æſtimentur: quædã definitione & exemplis tantũ doceri volunt, ſyllogiſmo probari nolũt: & apud alios auditores dicẽdum eſt ſubtilius, apud alios minus ſubtiliter: & aliter in ſchola, aliter in foro differendum: & plerũque tota dicendi ratio temporibus cõmutatur.

10 Caput (inquit Craſſus) artis eſt, videre quid deceat: quod tamen eiuſmodi eſt, vt arte tradi non poſsit: hæc tamen decori prudentia non tantùm naturali iudicio conſtat, ſed etiam ſyllogiſmorum arte & præceptis adiuuatur.

11 Arithmetici vocãt auream regulam, quæ tribus inuentis docet quartum inuenire. Hæc verò ſyllogiſmi regula longè verius aurea dicetur, quæ duobus inuentis & probatis docet tertium probare, id eſt, propoſitione & aſſumptione cognitis & cõceſsis complexionem veram iudicare.

12 Affectus mentem auocant ab æſtimatione veritatis, magnáque ex parte naturale iudiciũ mentis extingunt: vt enim quiſque affectus eſt, ita de rebus iudicat, & cæcos affectus ad conſiderationem rerum adhibet, iudicéſque ſtatuit: quo errore voluptuarii voluptatem, ambitioſi honorem, auari diuitias probãt: denique quod quiſque vehementius amat, id longè optimum, quódque maximè odit, id longè peſsimum arbitratur: cùm tamen interdum longè ſecus iudicandum & æſtimandum ſit, quia cum affectibus temeritas & ignoratio coniungitur, non veritas & ſcientia.

13 Quando de rebus propoſitis iudicare verè volumus, ad ſyllogiſmi regulam nobis recurrẽdum eſt, & ex ea faciendum iudicium, vt ſi propoſitio & aſſumptio

veræ iudicatæ fuerint, & ordine collocatæ, complexio vera iudicetur, ſin minus, nullũ iudicium de re ipſa fiat, ſed potius ἐποχή, id eſt aſſenſionis retentio.

METHODVS, AC PRImùm doctrinæ.

1 Methodus, eſt multorum & variorum argumentorum diſpoſitio. 2 Ea duplex eſt, altera doctrinæ, altera prudentiæ, non quòd vtraque prudẽtiæ non ſit, ſed quòd altera doctrinæ & artis nihil ferè habeat, ſed ex hominis naturalis iudicio prudentiáque pendeat. 3 Methodus igitur doctrinæ eſt diſpoſitio rerum variarũ ab vniuerſis & generalibus principiis ad ſubiectas & ſingulares partes deductarũ, per quam tota res facilius doceri percipíque poſsit. In qua tantùm illud eſt præcipiendum, vt in docendo generalis & vniuerſa declaratio præcedat, qualis eſt definitio & ſumma quædam comprehẽſio, tum ſequatur ſpecialis per diſtributionem partium explicatio: poſtremò partium ſingularium quo ordine propoſitæ ſunt definitio, & ex idoneis exẽplis illuſtratio. Quod vt facilius dicatur, familiari vtar exemplo. 4 Grammaticæ ſint omnes regulæ, definitiones, diuiſiones repertæ: ſint exempla Grãmaticæ inuenta, omniáque verè & rectè iudicata ac æſtimata: ſint omnes illæ præceptiones tabellis

variè diſſectis inſcriptæ, & mille modis in vrna aliqua, vt in ollæ ludo fit, circunuolutę. Hîc quæro, quæ pars Dialecticæ me doceat confuſa illa præcepta componere, & in ordinem redigere. Inuentionis dialecticæ præceptis nihil hîc opus eſt. Inuenta enim ſunt omnia, omnes partes veræ ſunt probatæ atque iudicatæ. Syllogiſmo nihil opus hîc erit: quia quid hîc verum ſit, intellectum iam eſt & perſpectum. Methodus igitur & certa diſpoſitionis via ſola requiritur: quã vnam ſimplicem doctrina nobis oſtendit, vniuerſa primùm, generaliáque, deinde ſpecialia & ſingularia collocantem. Dialecticus igitur hic noſter methodi lumine ſeliget in illa vrna Grãmaticæ primùm definitionem, quia nihil eſt in omnibus illis pręceptis generalius, & primo loco conſtituet. Grãmatica, eſt doctrina bene loquẽdi, benéque ſcribẽdi. Tum partes Grammaticæ in eodem vaſe requiret, & ſecũdo poſt vniuerſam definitionem gradu locabit. Grãmaticæ ſunt quatuor partes, Ortographia, Etymologia, Syntaxis, Proſodia. Tum partium definitionẽ in illo eodem vaſe ſeparabit, & tertio gradu ſuperioribus connectet. Atque ita deinceps ad extremas particulas ab integris rebus diſpoſitio deſcendet, eáque via in tradendis artibus vnica

ſeruabitur.[5] Sed quod facere polliciti ſumus,
& adhuc quoad potuimus, præſtitimus, ne
in excellentiſsima parte obliuiſcamur, illu-
ſtremus exemplis omnium generũ hanc dia-
lecticæ diſpoſitionis partem. Cicero de Na-
tura deorũ breuiter poſitam ſuperioris diſ-
„ putationis ſummam ſic partitur, Omnino di
„ uidunt noſtri totam iſtam de diis immorta- *Lib.2.*
„ libus quæſtionẽ in partes quatuor. Primùm
„ docent eſſe deos, deinde quales ſint: tũ mun-
„ dum ab his adminiſtrari, poſtremò conſulere
„ eos rebus humanis. Atque vti diſtribuit rem
totam, ita ſuis partibus exequitur. Et pro
Quintio admonet hac diſpoſitionis ratione
„ ſe vſurum, Faciam, ait, [6] quod te ſæpe anim-
„ aduerti facere Hortẽſi, totam orationis meæ
„ dictionem certas in partes diuidam. Pro Ro
„ ſcio, [7] Tres ſunt res, quantũ exiſtimare poſ-
„ ſum, quæ obſtãt hoc tempore Sexto Roſcio,
„ crimen aduerſariorum & audacia & poten-
„ tia: quæ ita deinceps ſingula vt propoſita diſ-
„ tributáque ſunt, diſputantur. Accuſationem
Verris in hunc ordinem mirificè concluſit.
Primò proponendo ſummam, tum partien-
„ do, [8] Quæſtor Cneo Papirio conſuli fuiſti
„ abhinc annos quatuordecim: ex ea die ad hãc
„ diem quæ feciſti, in iudiciũ voco: hora nulla
„ vacua furto, ſcelere, crudelitate, flagitio re-

„ perietur. Propoſitio hîc & definitio ſummæ
„ rei eſt. Partitio ſequitur, Hi ſunt anni cõſum
„ pti in quæſtura & legatione Aſiatica & præ-
„ tura vrbana & prætura Sicilienſi. Quare hæc
„ eadẽ erit quadripartita diſtributio totius ac-
„ cuſationis meæ. Quas partes tum ſuo quanque loco tractauit. Cæteris ferè in cauſis, quatenus cõditio naturáque rerum tulit, lucem diſpoſitionis huius adhibuit. 9 Poetæ ſi quãdo diligentius docere aliquid volunt, materiam propoſitã diuidunt, & partes ſuo quãque ordine diſpoſitas perſequũtur. Ouidius in Faſtis diſpoſitionis huius gratiam percupidè, & nõ ſine manifeſto ſtudio tenuit. Propoſuit operis ſummam primo loco,

Tempora cum cauſis Latium digeſta per annum,
Lapſáque ſub terras, ortáque ſigna canam.

Mox imploratione facta partitionem anni ſtatuit, Romuli primùm (quem reprehendit) in decem mẽſes, mox Numæ perfectiorem in duodecim,

Tempora digereret cùm conditor Vrbis, in anno
Conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo.

Et de Numa aliquanto pòſt,

At Numa nec Ianũ nec auitas præterit vmbras,
Menſibus antiquis propoſuítque duos.

Tandem primam anni partem, cæteráſque deinceps interpretatur, & præfatione

indicat incœpti ordinis ſtudium,

Hæc mihi dicta ſemel totis hærentia faſtis,
Ne ſeriem rerum ſcindere cogar, erunt.

10 Verùm hîc vnum obiter præcipiendũ eſt, non ſolùm vt diſtributarum partium ordinem perſequamur, ſed in ſingulis expoſitis & præteritarum rerum & cõſequentium breuiter admoneamus. His enim tranſitionum notis animus ad intelligendũ valde excitatur. Ouidius expoſitis primi mẽſis faſtis, cùm pergeret ad faſtos ſecundi, ait,

Sed iam prima mei pars eſt exacta laboris:
Cúmque ſuo finem menſe libellus habet.
Ianus habet finẽ, cum carmine creſcat & annus,
Alter vt it menſis, ſic liber alter eat.

Cicero pro lege Manilia cùm diſputationem tres in partes diſtribuiſſet, vt & de genere belli, & magnitudine, & imperatore deli-
,, gendo diceret, Quoniam de genere belli di-
,, xi, ait, nunc de magnitudine pauca dicam. Et
,, ibidem, Satis mihi multa verba feciſſe vi-
,, deor, quare hoc bellum eſſet genere ipſo ne-
,, ceſſarium, magnitudine periculoſum. Reſtat
,, vt de imperatore ad id bellum diligendo, ac
,, tantis rebus præficiendo dicendum eſſe vi-
,, deatur. Sic Virgilius cùm partitus eſſet opus Georgicon in quatuor partes, prima parte expoſita, ait,

Hactenus aruorum cultus, & ſydera cæli,
Nunc te Bacche canam.

11 Tranſitiones igitur eiuſmodi prætermittendæ non erunt: cauſas enim maximæ perſpicuitatis continent.

METHODVS PRVdentiæ.

12 Atque hæc de methodo doctrinæ, quæ quanto præceptis breuiſsima eſt, tanto vſu cũ experimur, maxima, grauiſsimáque. 13 Ad methodum prudentiæ tranſeundũ nobis eſt, quæ pro conditione perſonarum, rerũ, temporum, locorum, conſilium diſponendi dabit. Quamuis enim ſuperior illa via & ratio diſpoſitionis veriſsima cõmodiſsimáque ſit, admonendum tamẽ illud eſt, optimis locum nõ ſemper eſſe, nec eam diſpoſitionis lucem perpetuò retineri poſſe: 14 cùm frequenter impediant, moroſus auditor, res quæ docetur odioſa, tempus inimicum, locus alienus. 15 Commodùm verò aduocabitur in conſilium difficultatis huius, inuentionis, ſyllogimíque prudentia: cùm videre cupiemus quid expediat: nam præter illam antecedentem ſapientiæ regulam, infinitæ huiuſce varietatis diſpoſitio communis omnium perſonarum, cauſarum, locorũ, temporum tradi

nulla poteſt: nec enim perſonarum omnium natura vna eſt, tot capita, tot ſenſus: non vna conditio rerum, quæ minimis ſæpe momentis commutantur: temporum verò & locorũ ratione quid diſsimilius, aut quid magis varium cogitari poteſt? 16 Admonita tamen quædam & exempla, tametſi nulla perpetua & immutabilia decreta, demõſtrari poſſunt, quæ adiumenti aliquid afferant. Aliquando docendæ perſonæ, quæ doceri tamẽ nolunt. Itaque diſsimulanda ſumma rei propoſitio, definitióque, diſtributio partium reticenda. Tales ferè ſunt ſermones Socratis contra ſophiſtas, qui nolent diſputatione ſapientiores fieri, ſed videri. Multæ ſunt prudentiæ huius laudes in vno Cicerone. Secũda Agraria inſinuatio lõga eſt, quum ſe popularem fingit, qui ad euertendam tamen populi cauſam accedit. Idem ad Quintum fratrem in epiſtola de prætoris officio in adminiſtranda prouincia, cùm hominem moroſum & difficilẽ noſſet, ſublatis illis definitionum, partitionúmque luminibus, ſimulat ſe, quod prudens ſciensq́ue ageret, imprudenter & inſcienter egiſſe: & quum ſatis commodè prçcepiſſet, ait tandem, Sed neſcio quo pacto ad præcipiendi rationẽ delapſa eſt oratio mea, cùm id mihi propoſitum initio non fuiſſet. Sic orato-

res ſæpe de induſtria partitiones rerum detrahunt, narrationes differunt, refutationes præponunt, & legitimum illum ordinẽ confundunt. Poetæ cùm in omnibus prudentiæ partibus præſtantes ſæpe ſint, tum in hac ratione plerunque ſunt admirabiles. Terentiana Thais cùm impetrare vellet ab irato amatore Phædria, vt biduũ Thraſoni alteri amatori priores partes cõcederet, longiſsima inſinuatione captauit imprudentis adoleſcentis animum. Nulla rei huius facta mentione narrauit longo ſermone propter quæ vellet impetrare: nihil adhuc Phædria ſuſpicãte de exclusione, tandem cùm ſatis omnia tuta exiſtimat, mitigato prius irati adoleſcentis animo, magna ex parte etiam reconciliato, ait,

In Eunuc.

Id amabo adiuta me, quò id fiat facilius,
Sine illum priores partes hoſce aliquot dies
Apud me habere.

Tum ſcilicet extremum poſuit, quod ſi nullus affectus obſtitiſſet, initio proponendum fuerat: tam calidè, tam conuenienter iratæ perſonæ mulier diſsimulauit, vt tandem exclamet adoleſcens, captum ſe indicãs hoc ſermone,

At ego neſciebam quorſum tu ires.

17 Tota ſæpe poemata dialecticam iſtam prudentiam partibus omnibus oſtentant.

Cùm enim poeta magis etiam, quàm orator docẽdũ populum, id eſt belluam multorum capitũ ſibi propoſuerit, variis affectibus delectationis, admirationis, indignationis, cõmiſerationis fallit, à mediis incipit, prima medio plerunque loco cõprehendit, poſtrema incerto & inopinato euentu tandem concludit: atque vt ait Horatius,

18 *Nec reditũ Diomedis ab interitu Meleagri,* *In Arte.*
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo:
Semper ad euentum feſtinat, & in medias res
Non ſecus ac notas auditorem rapit, & quæ
Deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquit:
Atque ita mentitur, ſic veris falſa remiſcet,
Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum.

19 Sic Virgilius Æneã à Sicilia excepit, in medio narrantem præterita finxit, poſtrema variis perturbata caſibus induxit. 20 Sic in Comœdia Terẽtius quanuis ſummo conſilio totam fabulam diſtinguit in actus & ſcenas, officia perſonarum aptè & conuenienter exprimit: efficit tamen vt fortuita atque inopinata omnia videantur.

PERORATIO methodi.

21 Quamobrem has dialecticæ methodi vias diligẽter animaduertere atque intueri res

magnas & varias tractantem decebit: atque illam imprimis cùm docere diſcẽdi cupidos res graues & honeſtas deliberabit. 22 Quæ tanti Platoni viſa eſt, vt non hominum, ſed deorum inuentum eſſe diceret: eúmque ſolũ (cui lux iſta docenti affulſiſſet) verè ſplendidéque philoſophari iudicaret. 23 Tum verò ſi fuerit artificioſi illius itineris obſtructus aditus, aliam viam vi ingenii prudentiæque ſibi faciet, omniáque naturæ, conſuetudinis, vſus, vitæ, exẽplorum auxilia vndique comparabit, quoniã doctrinæ præſidiis deſtituitur: 24 & tanquam in Oceano tempeſtate iactetur (quoniam rectum curſum tenere non poteſt) velificationẽ mutabit, & quibus ventis poterit, incolumem nauem ad portum deducet.

MEMORIA.

25 Reliqua nobis eſt diſpoſitionis nõ noua quidem doctrina, ſed certè nec iniucũda, nec inutilis acceſsio, memoriæ cõfirmandæ: quæ diſpoſitionis gradus perinde ac vmbra lucente ſole corpus ſequitur. Vt enim rhetorum omniũ præcepta perlegas, quæ de memoriæ arte tradita ſunt, nihil ordine certius & fidelius, nec porrò ordinis vnã meliorem doctrinam reperies, quàm quæ in ſyllogiſmo & methodo deſcripta eſt: vbi tũ vnius, tum

multorum argumentorum diſpoſitio clariſſimo & conſtantiſsimo partium ordine tractatur. In pleno enim ſyllogiſmo propoſitio, aſſumptio, complexio eſt: in longa diuerſarum rerũ diſputatione partitio duorum aut plurium membrorum, quę deinceps ordinatim diſputantur, vt cùm mens huius ordinis artificio inſtructa totum rerum corpus ita digeſtum comprehẽderit, ſingularum partium ſententias memoria facilè conſequatur. Sed de hac vmbra diſpoſitionis ſatis.

1 Methodus propriè dicitur breuis & compendiaria via, & per metaphoram recta & facilis docendi ratio: vt enim compendia viarum nos eò quò peruenire volumus, facilè & expeditè deducunt, ſic diſpoſitio rerum quæ certa via & ratione progreditur, nos ad perſpicuam cognitionẽ propoſitæ rei ducit. Methodus autem ideo inuentionem & ſyllogiſmum ſequitur, quia prius res inuentæ, & ſyllogiſmo probatæ eſſe debent, quàm diſputatio rectè & legitimè diſponatur.

2 Methodi partitionẽ Marcus Antonius libro ſecundo de Oratore quodammodo aperuit, cùm duplicem rerum collocationem fecit: vnam quam adfert natura cauſarum, alteram quæ oratorum prudentia & iudicio comparatur: vbi nimis anguſtè methodum ad forenſes cauſas aſtrinxit Antonius, & eloquentiæ forenſis partem ſtatuit: quę tamen tota generalis debet eſſe, nec vllas niſi dialecticas monitiones & præceptiones requirit.

3 Methodus doctrinæ à Socrate explicatur in Philebo his verbis, Et quidem veteres nobis præſtantiores diiſque propiores hæc oracula tradiderunt, cùm ex vno

& multis ſint, quæ ſemper eſſe dicũtur, finémque & infinitionem ſibi ipſis congenitam habeãt, his ita diſpoſitis, oportere nos ſemper ideam in quaque re conſtituentes inquirere: eam enim innatam nos inuenturos eſſe. Si autem comprehenderimus, poſt vnam, duas, ſi ſint, inſpicere: ſin minus, tres, aut alium quempiam numerum: & quiduis eorum quæ ſunt vnum, rurſus eodem modo: quoad ipſum ab initio vnum nõ tantùm quis intelligat vnum eſſe, & multa, & infinita, ſed etiam quot ſint. Infiniti autem ideam ad multitudinẽ non antẽ adhibere, quàm quis numerum omnem ipſius cognoſcat inter infinitũ & vnum: tum autem ſingula quæque eorum omnium quæ in infinitum abeũt, dimittere, Dii igitur (quemadmodum dixi) vt hoc modo conſideremus, diſcamus, viciſsímque nos doceamus, nobis conceſſerunt. His verbis Socrates methodum doctrinę licet obſcurius Pythagorico more, quaſi per inuolucra quædã oſtendit, quæ ab vniuerſis & generalibus rebus ad ſpeciales & ſingulares via & ordine procedit. Idẽ in Phædro orationem legitimè compoſitam comparat animali, quòd caput habeat, & medios artus, & extremos, tũ ſibi, tum toti apta proportione redditos: caput autem cuiuſque diſputationis eſt generalis definitio rei, de qua diſputatur: & reliqui artus ſunt partitiones & definitiones partiũ via & ordine diſpoſitæ, ex quibus omnibus vnum quaſi corpus orationis cum apta & decenti conformatione efficitur.

4 Exemplum Grãmaticæ hîc adhibetur ad explicandam definitionem artificioſæ methodi, vt intelligamus ſi præcepta grãmaticæ artis confuſa & indigeſta eſſent, confuſionem iſtam non alia arte, quàm methodi dialecticæ diſtĩgui, & in ordinẽ redigi poſſe: quod Craſſus apud Ciceronẽ planius explicat his verbis, Omnia ferè quæ ſunt concluſa nũc artibus, diſperſa, & diſsipata quondã fuerunt: vt in muſicis numeri, & voces & modi: in geometria lineamenta, formæ, interualla, magnitu-

dines:in aſtrologia cæli conuerſio,ortus,obitus,motúſque ſyderum:in grãmaticis poetarũ pertractatio, hiſtoriarum cognitio,verborum interpretatio, pronũtiandi quidã ſonus.In hac denique ipſa ratione dicendi excogitare,ornare,diſponere,meminiſſe,agere,ignota quõdã omnibus & diffuſa latè videbãtur.Adhibita eſt igitur ars quædã extrinſecus ex alio genere quodã, quod ſibi totum philoſophi aſſumunt,quæ rem diſſolutã conuulſamque conglutinaret,& ratione quadã conſtringeret. Sit ergo in iure ciuili finis hic,legitimæ atque vſitatę in rebus cauſiſque ciuium æqualitatis conſeruatio:tũ ſunt notãda genera,& ad certum numerum paucitatémque reuocanda.Genus autẽ id eſt quod ſui ſimiles communione quadam,ſpecie autem differẽtes duas aut plures complectitur partes.Partes autem ſunt, quæ generibus iis è quibus emanant,ſubiiciuntur.Omniáque quæ ſunt vel generum vel partium nomina definitionibus quam vim habeant,eſt exprimendũ.Quamobrem ſi omnium artium præcepta inuenta & probata eſſent, ſed tamen confuſa & perturbata,hæc pars Dialecticæ cõfuſam turbam præceptorũ diſtinguere,& ſuo loco diſponere,atque tractare doceret:vt rectè dici poſsit ars reliquarum artium faciendarum & ordine tractandarum.

5 Hîc exempla integra nõ citantur,quia nimis eſſent prolixa:ſed generalis tantũ partitio artificioſæ diſputationis notatur,vnde ordo & deſcriptio totius diſputationis intelligi poteſt:quæ quidẽ partitio opportunè adhibita,vt ait Fabius,plurimũ lucis & gratiæ orationi adfert:neque enim id ſolùm efficit,vt clariora fiãt, quæ dicuntur,rebus velut è turba extractis, & in conſpectu poſitis,ſed reficit quoque lectorem & auditorem certo quodam ſingularum partium fine,non aliter quàm facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata in ſcriptis lapidibus ſpatia.

6 Ex diligentia partiendi multum laudis tribuitur Hortenſio,vt ait Fabius,cuius diuiſionem in digitos di-

ductam nõnunquam Cicero leuiter eludit,vt in Diuinatione,Quid cùm accuſationis tuæ membra diuidere cœperit,& in digitis ſuis ſingulas partes cauſæ conſtituere? In Bruto autem hanc induſtriam laudat in Hortenſio,Attulerat,inquit,minimè vulgare genus dicendi duas quidẽ res,quas nemo alius, partitiones,quibus de rebus dicturus eſſet,& collectiones,memor, & quæ eſſent dicta contrà,quæque ipſe dixiſſet.

7 Pro Roſcio Amerino Cicero primũ crimen parricidii diluit,quòd nulla cauſa ſit,cur Sextus Roſcius patrẽ occidere voluerit,aut potuerit, aut denique cur occiderit:deinde oſtendit Titum Roſcium & voluiſſe, & potuiſſe,& feciſſe hanc cędem,quòd pauper,quòd auarus,quòd audax,quòd denique Roſcii inimicus eſſet:poſtremò Chryſogoni potentiam, qui libertus erat Syllæ,in inuidiam adducit.

8 In actionibus in Verrẽ diuiſionis partes eo ordine quo propoſuit,exequitur:de quæſtura actione tertia agit,vt Verres queſtor euerſa publica pecunia Cneũ Papyrium Carbonem in prouincia cum exercitu deſeruit,rationes non retulit, legatus contra Carbonem teſtimonium dixit,in Ciliciã proficiſcens fanum Apollinis in Delo ſpoliauit, Tenedo Tenem deum abſtulit, Lampſaci filiam Philodami per vim rapere voluit,Philodamum ipſum,quòd ipſius libidinibus obſtitiſſet, capite mulctandum curauit. Præturæ vrbanæ duo crimina ſunt, quæ eadem actione accuſantur, vnum in iure dicendo,alterum in ſartis tectis exigendis.Præturæ Siciliensis quatuor crimina reliquis quatuor actionibus explicantur,quarta crimen de iuriſdictione, quinta de frumento,ſexta de ſignis ſublatis,ſeptima de crudelitate ſuppliciorum.

9 Poetæ cùm quid ad delectationẽ animi ſcribunt, non ſemper hanc artificialem methodum ſequũtur,ſed plerunque conſilium diſponendi ex perſonis & rebus quas tractant,delectandi gratia capiunt: ſi quid autem

ad docendum ſcribunt, lumen dialecticæ diſpoſitionis adhibere ſolét, vt Ouid. in Faſtis, & Virgilius in Georg.

10 Tranſitio, de qua nũc agitur, partes diſputationis inter ſe coniungit: eius duo ſunt genera: aut enim perfecta eſt trãſitio, aut imperfecta. Perfecta breuiter quid dictum ſit, admonet, & quid deinceps dicẽdum ſit, proponit: vt pro Quintio, Docui quod primum ſum pollicitus, cauſam omnino cur poſtularet, non fuiſſe. Attende nunc ex edicto Pretoris bona Publii Quintii poſsidere non potuiſſe. Pro Murena, Bene habet: iacta ſunt fundamenta defenſionis meæ: nondum enim noſtris laudibus, quibus vtar poſtea, ſed propè inimicorum cõfeſſione virũ bonũ & integrũ hominem defendimus: quo cõſtituto, facilior eſt mihi aditus ad contentionem dignitatis, quæ pars altera fuit accuſationis. Tranſitio imperfecta, quod antè dictum eſt, nõ repetit, ſed quod ſequitur, duntaxat proponit: vt cùm ſecundo Georgico de cultu arborum & vitium Virgilius diſſeruiſſet, nullo facto epilogo, ad tertium opus tranſit,

Te quoque magna Pales, & te memorande canemus
Paſtor ab Amphryſo.

Cúmque de re pecuaria libro tertio diſputauiſſet, nulla adhibita repetitione tranſit ad quartum,

Protinus aerij mellis cæleſtia dona
Exequar.

11 Vtilis eſt tranſitio ad duas res, ad docendum primùm: nam & quid dictum ſit, commonet, & ad reliquũ comparat auditorem: deinde ad delectandum: reficit enim lectorem vel auditorem, cùm & id quod dictum ſit, breui epilogo velut ſub aſpectum ponit, & ſequentis diſputationis ſummam aliquam proponit, qua non ſecus afficimur, atque viatores ipſi, quibus ſuſcepti itineris viæ demonſtrantur.

12 Cõcluditur locus de methodo doctrinæ, quæ quidem breuiſsimã artẽ habet, ſed vſum maximũ & difficillimũ. Socrates in Philæbo, Nulla, inquit, via pulchrior

eſſe poteſt,ea quã ſemper vnicè dilexi:ſed illa me perpetuò fugit & deſerit. Protarchus. Cedo,quænã eſt iſta? Socrates. Quam verbis explicare non eſt difficile, vſu verò & exercitatione cõſequi longè difficillimum eſt: quæcunque enim via & arte inuẽta deſcriptáque ſunt, hac vna via in lucem prodierunt.

Quid Ariſtoteles & medici de methodo doctrinæ?

In dialecticis libris nihil:in aliis libris confuſe idem ferè monet Ariſtoteles quod in vera methodo præcipitur,vt ab vniuerſis & generalibus rebus ad ſpeciales partes via & ordine progrediamur. Medici de methodis multa & varia præcipiunt, in quibus dialecticum aliquid,ſed confuſum & indiſtinctum perturbant magis, quàm explicant: methodi enim nomine aliâs Dialecticam totam comprehendunt,cùm eam diuidũt in analyſin & geneſin:analyſeos enim cogitatione in inuentionem incidunt, ſicut geneſeos in diſpoſitionem: quia per analyſin res inueniendas dicunt,per geneſin collocandas:ſed in vtraque grauiter errant,quia neque in analyſi veras inuentionis partes,neque in geneſi veras diſpoſitionis ſpecies explicant. Idem medici particulam aliquã dialecticæ confundunt nomine methodi, cùm dicunt definitionem,diuiſionem,ſimilitudinẽ,diſſimilitudinem, maiora, paria, minora methodos eſſe; ſunt enim particulæ inuentionis:item cùm dicunt ſyllogiſmum demonſtratiuum methodum eſſe: demõſtratiuus enim ſyllogiſmus fit ex cauſis,quod inuentionis genus eſt: & ſyllogiſmo concluditur, quod diſpoſitionis eſt:methodus autem nec inuẽtionis,nec ſyllogiſmi doctrina eſt, ſed ab vtroque horum vt natura, ita præceptis diſtincta.

13 Methodus prudentiæ ſequitur,quæ non tradit certas diſpoſitionis leges,vt illa methodus doctrinæ: nec ullum firmum & ratum & vniuerſale præceptũ habet: ſed pro omni arte hoc tãtùm monet,res in oratione pro conditione perſonarum,locorum,temporum,variè diſ-

poni & collocari. Hæc itaque tota ferè expers artis videbitur, ſi cum ſuperiore methodo conferatur: illic enim certa diſponēdi doctrina traditur, hîc nulla regula certa & catholica traditur, niſi hæc vna, quæ (vt antè dixi) ſummatim admonet multarum rerum diſponendarum nullam ſtabilem artem tradi poſſe: ſed hanc totā rationem in iudicio & prudentia hominis poſitam eſſe, vt videat quid maximè deceat in oratione: quoniā non omni cauſæ, nec auditori, nec loco, nec tempori congruit vnum & idem orationis genus. Itaque multis in diſputationibus iudicium prudentiæ, quod ſequamur, potius requirendum erit, quàm conſilium artis & doctrinæ.

14 Hîc quatuor numerantur, quæ obſtāt, quo minus ſequamur methodū doctrinæ: potiúſque iudicio & arbitrio ordinem quēdam in oratione & diſputatione cōmētemur & teneamus: de quibus quatuor cōditionibus rhetores in ſuis forenſibus præceptis multa precipiunt.

15 Ad deliberandum quæ via in docendo magis expediat, dialecticus ex locis inuentionis argumentū requiret, & ad artem ſyllogiſmi concludet, quæ ſola & vnica eſt dux humanæ prudentiæ, vt diximus in peroratione ſyllogiſmi.

16 De methodo prudentiæ conſilia quædam tradūtur, & exemplis illuſtrantur, ſed eiuſmodi tamen, vt nullam omnino artem faciant, quæ verſatur circa certas & immutabiles præceptiones. Hæc igitur admonitio eſt, ſi moroſus ſit auditor, qui recta ratione doceri nolit, vt interdū definitio diuiſióque rei, de qua agitur, omittatur. Sic Socrates apud Platonem, cùm refellit ſophiſtas, Traſimachum, Gorgiam, Protagorā, non aperta & recta diſpoſitionis via, ſed occultis probationum quaſi cuniculis incedit. Et Cicero pro Ligario cùm ſentiret offenſum Cæſarem, nullam partitionem adhibuit, ſed modò culpam ſuam confitetur, vt augeat clementiam Cæſaris, à quo reuocatus eſt in Italiam: modò inuehitur in Tuberonem: modò excuſat Ligarium: & ſimili-

bus exemplis de clementia Cæſaris bene ſperare iubet: eúmque ordiné de induſtria tenuit, vt occulta & celata arte Cæſarem grauiter commotum ad miſericordiã & clementiam facilius deduceret.

17 Deſcribuntur à poetis varii caſus atque euentus rerũ, quorum alii habent delectationem, vt in AEneide Virgilii apparatus conuiuiorum, venatio, ludi: alii com miſerationem, vt caſus & pericula AEneæ in mari: alii admirationé, vt virtus AEneæ in periculis & in bellis: alii indignationem, vt fraus Sinonis, vt crudelitas Pyrrhi aduerſus Priamum.

18 Homerus non vtitur exordio longè petito, velut Cyclicus poeta, qui reditum narrans Diomedis à bello Troiano exorſus eſt ab interitu Meleagri fratris eius: nec Iliada orditur à cõcubitu Iouis cum Læda, vnde nata eſt Helene cauſa belli Troiani, ſed à precibus Chryſæ ſacerdotis. Idémque Homerus auſpicatur Odyſſeam à conſilio deorum: errantémque Vlyſſem deſcribit non à litore Troiano primũ, ſed ab inſula Calypſus ad Phæacas, qui in conuiuio Alcinoi regis narrat Phæacibus quemadmodum à Troiano litore ad nympham vſque nauigarit: tum poeta reliquam nauigationèm Vlyſsis à Phęacibus ad Ithacã patriam ordine proſequitur. Vnde cõſtat Homerum in narrandis erroribus Vlyſsis non eſſe ſecutum ſeriem rerũ & temporis, ſed à mediis exorſũ fuiſſe, & medio loco quæ prima erãt interſeruiſſe.

19 Virgilius veſtigiis Homeri inſiſtens errantem AEneam non excipit à litore Troiano, ſed primùm narrat quemadmodum è Sicilia nauigans in Libyam tẽpeſtate compulſus & delatus fuerit, qui in conuiuio Didus reginę Carthaginiéſium narrat à principio, vt Troia euerſa fuerit, & quibus erroribus eò nauigarit: & quemadmodum Homerus bellum Troianũ morte Hectoris, ſic Virgilius bella AEneæ morte Turni finiuit.

20 Spectator comœdiæ res in epitaſi ita controuerſas videt, vt exitum proſpicere nõ poſsit: quia in comœ

dia non ſeruatur ordo artis,ſed prudētiæ fallendi & delectandi auditoris gratia.

Quid Ariſtoteles de methodo prudentiæ?

Nihil in dialecticis libris. hanc partem rhetores ſæpius inculcant non ſolùm in diſpoſitione,quam ſibi falſo aſſumũt,ſed etiam in inuentione & elocutione, vbi præcipiunt de argumentis partium orationis,& de generibus dicendi:vbi & dialecticam prudentiam ſuæ arti falſo aſcribunt,& nimis anguſtè ad cauſas tantùm ciuiles & forenſes coarctant.

21 De duabus methodis prima, quoad eius fieri poſſit,tenenda nobis eſt,quia facillima, & ad docendũ accommodatiſsima: progreditur enim à rebus notiſsimis & clariſsimis ad partium ſubiectarum explicationem. Itaque cùm multis in aliis grauioribus diſputationibus, tum maximè in artibus docendis ſeruanda eſt.

22 Socrates in Philæbo, Donum, ait,profectò deorum ad homines,vt mihi quidem videtur, per Prometheum quendam vnà cum clariſsimo igne delatum eſt. Et paulò pòſt,Dii igitur,vt diximus, hanc nobis inueſtigandi,diſcendi,docendi viam oſtenderunt.

23 Quanuis prima methodus ſit clarior & excellentior quàm ſecunda,ſæpe tamen vſu venit, vt ſecundam ſequi magis expediat:vt ſi præcipias imperatori (vtar enim Fabii ſimilitudine) vt quoties aciem inſtruet, dirigat frontem , cornua vtrinque promoueat, equites pro cornibus locet,erit hæc quidem rectiſsima fortaſſe ratio,quoties licebit:ſed mutabitur interea natura loci,ſi mons occurret,ſi flumen obſtabit, ſi collibus & ſyluis prohibebitur:mutabit hoſtium genus: mutabit præſentis conditio diſcriminis:nunc acie directa, nunc cuneis,nunc auxiliis, nunc legione pugnabitur: nonnunquam etiã terga dediſſe ſimulata fuga proderit:ita quanuis longè optimum ſit precipere atque etiam perficere,vt rectã in docendo viam à generalibus principiis ad ſpeciales partes deductam ſequamur,tamen in-

terim cõmodum,atque etiam fortaſſe neceſſarium fu-
erit hunc ordinem mutare,& alium quendam pro iudicio arbitrióque noſtro deligere,quem maximè aptũ rebus,locis,perſonis,temporibus iudicabimus.In quo nõ parum iuuabimur conſiderandis exemplis bonorum authorum,& cùm priuatæ,tum etiam publicæ cõſuetudinis,cùm diligenter inſpiciemus quid excellentes homines in ſimilibus exemplis fecerint, vt antè diximus de Cicerone,Terentio,Homero,Virgilio.

24 Allegoria eſt & ſimilitudo à nautis,qui quemadmodum tempeſtate abrepti,& flantibus ventis mutant velificationem,vt ad portum ſi non recto & breui, ſaltem vtili & ſalutari curſu contendant:ſic in docendo ſi methodus doctrinæ propoſito non conuenit, qua via & progreſsione poſſumus, ad explicationẽ rei propoſitæ perueniendum nobis eſt.

25 Memoriæ doctrina eadem eſt, quæ diſpoſitionis: quia ad iuuandam & confirmandam memoriam nihil aliud præcipiendum videtur,niſi vt in oratione, quam velis ediſcere,ordinem partium ſyllogiſmi & methodi ſpectes:hæc enim eſt veriſsima & rectiſsima ars exercendæ memoriæ:non ea quæ locorum & imaginum vanis & inutilibus commentis à rhetoribus inſtruetur.

Quid Ariſtoteles de memoria?

Nihil in dialecticis organi logici libris.

PETRI RAMI ELOquentiæ & Philoſophiæ profeſſoris Regii Inſtitutionum Dialecticarum

LIBER TERTIVS.

De Exercitatione.

DE [1] tribus partibus ad diſſerẽdum neceſſariis, natura & ars breuiter, ſicut erat inſtitutũ, ſunt expoſitæ: exercitatio (quæ reliqua eſt) nobis eſt identidẽ paucis attingenda: [2] quæ in actũ naturam arte inſtructam deducat. [3] In qua quantũ inſit ad bene diſſerendũ momenti, dici poſſe equidẽ vix arbitror: ſi quis enim eximiæ pulchritudinis animalia in aulæis picta ſpectaret, atque in ipſa ſpectandi admiratione cùm eſſet, ea repentè excĩtata proſilirent, quanta iam eſſet, & quanto perfuſa gaudio ſpectanti lætitia? ita ſi quis artis tam nobilem, támque humanitatis propriam deſcriptionem contemplatus, vſum aliquem, viuentémque actum deſideret, atque in ipſo deſiderio doctrinæ velut artus a-

nimari, ſuáque ſponte moueri aſpiciat, protinusque ita comparari, vt Palladis alicuius inſtar occultiſsimas res aperiat, conſulentibus ſumma prudentia reſpondeat, res controuerſas diſceptet, perturbatis ordinē, obſcuris lucem adferat, qua voluptate hæc ipſa contemplátis animus geſtiet? qua lætitia exultabit? Hæc porrò miracula nobis exhibebit exercitatio, languentes & ſopitos artis ſenſus excitabit, calore viuētis ſanguinis motúque ratiocinātis ſpiritus animabit: ſumma igitur, ac propè ſola differendi virtus eſt in exercitatione. 4 Artis verò præceptis cognitis, & in animo memoriáque penitus infixis duplex exercitatio dialectica cōmodè diſtinguetur: altera in exploratione diſputationis iam factæ, altera in nouæ effectione & cōpoſitione. Hęc geneſis, illa analyſis nominetur.

ANALYSIS.

5 Analyſis itaque dialectica, retexta quædā ars erit, & per eoſdem progreſsionum omnium gradus repetita, quæ ſpectare iubebit velut architectura operis confecti ſpeciē, omnibúsne locis ad legem conueniat, & ideam præceptis mōſtratam penitus exprimat, omnibúſque omniū partium numeris abſoluat. 6 Nomen ἀπὸ τοῦ ἀναλύειν, id eſt retexere, quod

hęc exercitatio quaſi Penelope contextã iam telam retexat: quę diligentia in ſcriptis 7 alienis perſpiciendis præcipuam laudem habet. Sed initio popularibus & è medio ſumptis exemplis vtetur, ne diſcentis animus dupliciter impediatur, & exempli obſcuritate, & artificii diſtinctione. [8] Primùm igitur analyſis quod explicandum ſuſceperit, à capite retexet opus vniuerſum: quæſtionem cernet, quę differenti proponitur: argumenta quibus tractatur aſpiciet: & ad loci vnde ſumpta ſunt, legem naturámque referet: diſpoſitionẽ poſtremò ad propoſitam regulam comparabit. Proponamus itaque aliquem locum, cuius quæſtionem videamus primùm, tum inuentionem, iudiciúmque conſideremus. ſit hic locus Maronis,

9 Diſce puer virtutem ex me, verúmque laborem, *Æneí.12*
Fortunam ex aliis, nunc te mea dextera bello
Defenſum dabit, & magna inter præmia ducet.
Tu facito mox, cùm matura adoleuerit ætas,
Sis memor, & te animo repetentem exẽpla tuorũ
Et pater Æneas & auunculus excitet Hector.

Hîc igitur adhortationis quæſtionem cernamus, quòd Aſcanius egregiũ ſe pręſtare debeat: cuius ex cauſis procreantibus & adiunctis argumentum ſumitur, quòd patrem Æ-

neam,& auúculum Hectorem habuerit: Syllogiſmus imperfectus eſt. propoſitio enim deeſt:attamen vt accuratius æſtimetur, perficiendus eſt hoc modo:

Maiorum claritas excitare debet adoleſcentes ad laudem:
Aſcanius clariſsimos maiores habet, patrẽ Æneam, auunculum Hectorem:
Excitetur igitur Aſcanius ad laudem.

1 Primo libro dialectica virtus diuiſa fuit in tres partes,ex quibus conſtaret & abſolueretur,naturã, doctrinam,exercitationem:quarum duabus primis vna & cõmuni inſtitutione deſcriptis tranſitus fit ad demonſtrãdam viam & rationé dialecticæ exercitationis,vt intelligamus ad quem vſum præcepta inuẽtionis & diſpoſitionis prius expoſita referri debeant:fruſtrà enim artes diſcuntur,niſi exerceãtur,& fructus earum & vſus percipiantur:quemadmodum fruſtrà grammaticæ præcepta à pueris perciperentur,niſi in exemplis excellentiũ poetarum & oratorum explicandis & imitandis:itémque in nouis exemplis purè ſcribendo & loquendo fingendis exercerentur.

2 Exercitatio dialectica primùm definitur naturæ & artis in actum & vſum deductio:cùm naturalis ingenii dotes ad diſſerendum,& doctrinã naturæ congruẽtem de argumẽtis,ſyllogiſmis, & methodo excitamus, fouemus,omni recto & legitimo ſtudio cogitandi, legendi,dicendi,ſcribendi augemus & amplificamus, & quicquid mente & ratione perſpici & effici poteſt, intuemur & efficimus:vt enim grãmatica exercetur,cùm pueri diſcunt phraſes excellẽtium authorum præceptis & legibus grammaticę artis examinare,& ſecũdum ar-

tem & exempla eiuſmodi, purè loqui & ſcribere: ita dialecticam exercebunt, cùm in bonis authoribus legẽdis effigiem & vſum huius artis intuebuntur, & in omni genere meditationis, vt lectionis, auditionis, ſcriptionis, dictionis, concertationis ſtudioſe verſabuntur.

Quid Ariſtoteles de definitione exercitationis dialecticæ?

Nihil in organo logico: atque vt vitioſam artem, ſic vitioſam artis exercitationem docuit.

3 Illuſtris eſt ſimilitudo ad explicandam vim dialecticæ exercitationis: in qua ſimilitudine dialectica ars pulcherrimis tapetis comparatur, & artis præcepta ſingula pictis animalibus, & horum præceptorum exercitatio viuis animalibus, & geſtum motúmque aliquem præbẽtibus: ars enim eſt quaſi quędam excellẽs pictura, & præcepta tãquam imagines ſunt, & exercitatio quaſi horũ præceptorũ anima: quia omnes artes iacerẽt, niſi ſtudio & vſu excitarentur, & tanquam animarentur.

4 Exercitatio dialectica diuiditur in duas ſpecies, analyſin & geneſin: analyſis verſatur in explorãdis ſcriptis, aut cõſiliis, aut dictis tum noſtris, tum alienis, cùm videmus primùm rem de qua agitur, deinde rationes, tũ earum diſpoſitionem, & ſingulas partes diligenter excutimus. Geneſis eſt ſecũda exercitatio, qua vel ad aliorum imitationem aliquid meditamur, vel ſine exẽplo propoſito aliquid ingenio noſtro molimur & efficim⁹. Quẽadmodum enim pueri ſic à grammaticis magiſtris inſtituuntur, vt in ſingulis prælectionibus, quibus carmen vel epiſtolam audiũt, rationem grammaticæ artis reddere diſcant de partibus orationis, de ſyntaxi, de accentibus: & hæc analyſis eſt grãmatica, deinde docentur ad conſequendam ſermonis puritatem vel Terentium, vel Ciceronem imitari, vel aliquid per ſe conari & efficere: & hæc eſt grammatica geneſis: ſic dialecticæ artis tyrones primùm ſe in optimis quibuſque autho

ribus exerceāt neceſſe eſt vidēdo qua de re agatur, quæ & cuius generis ſint argumēta ſingula, qua via & ordine tractentur: quæ conſideratio & exercitatio dicitur analyſis dialectica: deinde etiam vel ſimile aliquod exemplum imitando ſequantur, vel aliquid ſuo (vt aiunt) Marte dicendo vel ſcribendo moliantur & efficiāt: quæ geneſis dialectica eſt. Sic reliquarũ artium & liberaliũ & illiberalium exercendarum duplex eſt ratio, analyſis & geneſis: illa in explorandis quibuſdam exemplis ad normam & legem artis, hæc in fingendis & componendis nouis. Vt in agricultura analyſis eſt, cùm aratio, ſtercoratio, ſementis, meſsis in aliquo agro cuiuſmodi ſunt à perito eius artis homine conſiderātur. In artificio ſartorum, cùm veſtes inſpiciuntur, an probè confectæ ſint nécne: in pictura, cùm propoſitæ alicuius tabulæ imagines ex formis & lineamentis & proportionibus, quales ſunt, æſtimantur. At in iiſdem artibus geneſis eſt, cùm ab agricola ager aratur, ſtercoratur, ſeritur, metitur: à ſartore veſtis ſarcitur, à pictore imago pingitur: eadémq; valet ratio in reliquis artibus & diſciplinis exercēdis.

Quid Ariſtoteles de diuiſione dialecticæ exercitationis?

Nihil: quanuis enim hanc partitionem in primo analytico adhibuerit, ſyllogiſmo tamen duntaxat componēdo & reſoluēdo ineptè accommodauit: generalem inuentionis & diſpoſitionis analyſin & geneſin non docuit, vt in omni diſputatione per analyſin perciperētur virtutes authorũ, & per geneſin noſtræ expromerētur. Octauo topico rectè monet vt dialecticus in omni quæſtione conſideret quid in vtrāque partem dici poſſit, locorum etiam & quæſtionum communiũ diſputationes quammaximè inſignes & generales teneat: cùm tamen Ariſtoteles aliâs ſæpe dialectico ſolũ problema, in quo artem dialecticā exerceat reliquerit, nec vllam aliam doctrinam, quàm confirmandi & refellendi problematis in Topicis tradiderit.

5 Analyſis dialectica definitur & explicatur à ſimilibus, vt ſit exercitatio, qua omnes omnium generũ diſputationes reſoluimus, vt hi facere ſolent, qui contextã telam retexũt: & reſoluimus eo ordine, quo partes artis traditæ ſunt, inſpiciendo primùm quæſtionem, deinde argumentum, tum argumenti diſpoſitionem: & quemadmodum perfecto ędificio architectus partes ſingulas operis inſpiciẽs, quid rectum ſit, & quid non rectũ iudicat: ita dialecticus de poetarum, oratorum, philoſophorum ſcriptis hac cõſiderationis exercitatione poterit æſtimare. Vt igitur architectus adhibetur alieni operis inſpector, vt illud approbet vel improbet: ita dialecticus per analyſin de alienis ſcriptis & ſentẽtiis iudicabit.

Quid Ariſtoteles de analyſi?

Ariſtoteles (vt antè dixi) ſolam analyſin ſyllogiſmorũ docet, vt in propoſitiones primùm, deinde in terminos reſoluantur: multáque præterea de theſi & ecthesi terminorum ſimplicium, compoſitorum, & obliquorum, de analyſi & theſi ſyllogiſmorũ, de analyſi ſyllogiſmorum ad impoſsibile, & ex hypotheſi, itémque de reciproca reductione ſyllogiſmorum vnius figuræ ad aliam in Analyticis cumulat: generalẽ verò analyſin inuentionis & diſpoſitionis, qua vti poſſumus & debemus ad intelligendas & explicandas omnium generum diſputationes, non expoſuit. Itaque ex organo logico nõ docemur, quæ ſit analyſis dialectica.

6 Etymologia nominis declaratur ſimilitudine & exemplo Penelopes, quę à procis ſollicitata ad nuptias promittebat ſe nupturam eſſe, cùm abſoluiſſet telã, quã in manibus habebat: ſed vt eos longius falleret, noctu retexebat, quod interdiu contexuiſſet, vt ſcribit Homerus libro ſecundo Odyſſeæ.

7 Poteſt etiam analyſis in noſtris ſcriptis adhiberi: ſed quoniam noſtra nobis ſunt notiora, quàm aliena, idcirco in alienis magis verſatur.

8 Analyſis reſpondet partibus artis dialecticæ. Huius igitur ſumma eſt, vt in explorãdo aliquo opere, cùm quæſtionẽ habemus, conſideremus primùm ea quę ſunt inuẽtionis dialecticæ, deinde ea quæ ſunt diſpoſitionis.

9 AEneas cõgreſſurus cum Turno Aſcaniũ filium hortatur ad imitandas virtutes maiorum ſuorum.

1 In explorandis propoſitis exemplis, quæ vel lecta, vel audita, vel etiam tantùm meditata ſint, non ſolùm laudes cernẽtur, vt propria, perſpicua, certa, vera, cõſentanea concedantur: ſed vitia notabuntur, vt aliena reiiciantur, obſcura explicentur, ambigua diſtinguantur, falſa negentur, inconſequentia ſuſpendantur. Horum duo prima alienum & obſcurum ad omnes inuentionis, diſpoſitioníſque partes attinent: ambiguum & falſum ad inuentionis & ſyllogiſmi partes tãtùm, vt inconſequens ad ſolam concluſionem.

ALIENVM.

2 Ergo in argumẽtis ſpectabitur primùm ne quid alienum ſit: frequenter enim imprudentes & incõſiderati homines hîc labũtur, & propria cõtrouerſia omiſſa res alias agũt: de quo Martialis feſtiuũ eſt & notũ epigrãma Lib. 6.

3 *Non de vi, neque cæde, neque veneno:*
Sed lis eſt mihi de tribus capellis:
Vicini queror has abeſſe furto:
Hoc iudex ſibi poſtulat probari.

Tu Cannas, Mithridaticúmque bellum,
Et periuria Punici furoris,
Et Syllas, Marióſque, Mutióſque
Magna voce ſonas, manúque tota.
Iam dic Poſthume, de tribus capellis.

Hoc in diſſerendo primum vitium eſt.

OBSCVRVM.

4 Obſcuritas in diſſerendo minore reprehenſione non caret: niſi enim argumẽta ſint & per ſe clara & clariora quæſtione (quæ tractatur) argumenta nulla ſunt, cùm nihil arguant, nihil oſtendant. Exemplum notabile
„ eſt apud Ciceronem, Quid enim, inquit, mea 2. De Diui.
„ cauſſa me mones, quod non intelligã? Quid
„ me igitur mones? vt ſi quis medicus ægroto
„ imperet, vt ſumat
„ *Terrigenam, herbigradam, domiportam, ſanguine caſſam,*
„ potius quàm hominum more, cochleam di-
„ cat. Nam Pacuuianus Amphio,
„ *Quadrupes tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera,*
„ *Capite breui, ceruice anguina, aſpectu truci,*
„ *Euiſcerata, inanima, cum animali ſono.*
„ quum dixiſſet obſcurius, tum Attici reſpon-
„ dent, Non intelligimus, niſi apertè dixeris.
„ At ille vno verbo, Teſtudo. Nõ poteras hoc
„ igitur à principio cythariſta dicere? Obſcuri

tatẽ Cicero in illis definitionib⁹ reprehẽdit.

AMBIGVVM.

5 Ex ambiguo non minus periculoſa fallacia oritur, quàm ex obſcuro. Obſcuritas enim efficit, vt nihil intelligatur: ambiguitas oſtendit ſæpe aliud, quàm intelligi commodum ſit. Martialis de Paulo,

Lib.2. *6 Carmina Paul⁹ emit, recitat ſua carmina Paul⁹:*
Nam quod emas, poßis dicere iure tuum.

Illic poſſeſſor ſignificatur, quòd emerit: hîc, quòd fecerit. 7 Sic cùm Sextus Annalis teſtis reum læſiſſet, & inſtaret identidem accuſator Ciceroni, Dic Marce Tulli, nunquid potes de Sexto Annali? verſus autem dicere Cicero cœpit de libro Ennii annali Sexto,

Quis potis ingenteis oras euoluere belli?

Hoc vitium commune eſt omnium argumentorum, ambiguæ cauſæ, ambigua effecta, & cætera argumenta ambigua eſſe poſſunt. Neque tamen exiſtimari volo omnem diſputationem vitioſam, quia nullũ ferè vocabulum ſit non ambiguum: ſed ſi in eadem oratione diſsimiliter idem verbum intelligatur. Cũ autẽ eiuſmodi ambiguitas inciderit, diſtinctio adhibẽda erit. Mart. in Cæcilianũ,

Cùm dixi ficus, rides quaſi barbara verba: Libro 1.
Et dici ficos Cæciliane, iubes:
Dicemus ficus, quas ſcimus in arbore naſci:
Dicemus ficos Cæciliane, tuos.

FALSVM, VBI CAPTIONES *& fallaciæ argumentorum.*

8 Obſeruanda deinceps erunt & ſingulorum argumẽtorum vitia propria, vnde falſæ rationes oriuntur, ne non cauſſæ vt cauſſæ, non effecta vt effecta, eodémque modo in cæteris ponantur.

NON CAVSSAE, VT CAVSSAE.

A Sinone fallaces cauſſæ equi fabricati, & in vrbem recipiendi finguntur,

Hanc pro Palladio moniti, pro numine læſo ÆEne.2.
Effigiem ſtatuere, nefas quæ triſte piaret:
Hanc tamen immenſam Calchas attollere molem
Roboribus textis, cælóque educere iuſsit:
Ne recipi portis, aut duci in mœnia poſsit:
Neu populum antiqua ſub relligione tueri.
Nam ſi veſtra manus violaſſet dona Mineruæ,
Tum magnũ exitiũ (quod dij prius omen in ipſum
Conuertant) Priami imperio, Phrygibúsq; futurũ.
Sin manibus veſtris veſtram aſcẽdiſſet in vrbem,
Vltrò Aſiam magno Pelopeia ad mœnia bello
Venturam, & noſtros ea fata manere nepotes.

Non cauſſæ vt cauſſæ hîc confictæ ſunt.

NON EFFECTA, VT EFFECTA.

9 Effecta plerunque Vitioſa ſimiliter aſſumuntur, tanquam ab aliis profecta cauſsis. Martialis de rhetore.

Libro 1.

10 *Extemporalis factus eſt meus Rhetor,*
Calphurnium non ſcripſit & ſalutauit.

Salutare enim quempiam nominatim ac memoriter, extemporalis eloquentiæ argumentum nullũ eſt, ſed obliuioſi hominis memoriam feſtiuè Martialis notauit. 11 Quinti Fabii res geſtæ extenuabantur ab inimicis, & ouiculæ atque cũctatoris facta dicebantur, cũ eſſent boni & prudentis imperatoris.

CAPTIO EX SVBIECTIS *& adiunctis.*

12 Sic in ſubiectis magnus error accidit, in artibus præſertim, quarum nulla ferè ſuis eſt contenta finibus. Grammatici non ſcribendi modò & loquendi ſcientiam ſibi vendicant, ſed etiam poetas enarrandi: quod poſtremũ tamen eius artis alienum eſt, nec vllũ in grãmatica traditur præceptum, nec tradi debet de poetis interpretandis. Nam ſiquid in poetis dialecticum, phyſicum, ethicum, medicũ, hiſtoricũ fuerit, ex earum artium, non gram-

maticæ decretis repetendum erit. [13] Rhetores inueniendi, diſponendi, ornandi, recordandi, pronũtiandi artes ſuæ diſciplinæ ſubiiciunt: cùm ſit inuentio, diſpoſitióque dialecticorum, & memoria ſiquid artis habeat, dialecticæ diſpoſitionis quædã ſit vmbra. [14] Cæteris in ſtudiis artium vtinam non tãta reprehenſionis huius materies abũdaret vel redũdaret potius. [15] Ex adiunctis frequentior error naſcitur. Hinc ferè fraudes omnes oriũtur: fuga timoris adiunctum eſt: magnas tamen victorias imperatores callidi hac fallaci & inſidioſa ſophiſmatis ſimulatione cõſecuti ſunt. [16] Annibal Romanos ad Trebiam, ad Thraſimenũ lacum ſophiſtica iſta fallacia circunuenit. [17] Thomyris Scytharũ regina Cyrum cum ingẽti exercitu deleuit. Hinc ſimulationum penè omnium ac diſsimulationum inuolucra naſcuntur.

CAPTIOSA DISSENTANEA.

[18] Ex diſſentaneis item peccatur: & aliquãdo iocus aliquis ex hoc errore quæritur.

Martialis,

Omnia Caſtor emis: ſic fiet vt omnia vendas. Libro 7.

Luſit in relatis emere & vendere.

Pinxiſti Venerem, colis Artemidore Mineruam:
Et miraris opus diſplicuiſſe tuum?

Martialis iocando velut repugnantia poſuit Venerē bene pingere, & colere Mineruã. *Libro 5.*

FALLACIA COMPARATIONIS.

19 Ex comparatis ſunt etiam ſuæ captiones. Martialis,

Libro 5.

Quòd alpha dixi Codre, penulatorum
Te nuper aliqua cùm iocarer in charta,
Si fortè bilem mouit hic tibi verſus,
Dicas licebit beta me togatorum.

Paria videntur alpha penulatorum, beta togatorum, quia ſunt affines alphabeti literæ: cũ illa tamen primum, hac ſecundum, aut nihil ſignificemus. A maioribus idem poeta (quid enim vetat plura ex eodem idonea pręſertim & illuſtria exempla ſumere?)

Libro 8.

Soluere Pete decem tibi me ſeſtertia cogis,
Perdiderat quoniam Buco ducenta tibi:
Ne noceant oro mihi non mea crimina, tu qui
Bis centena potes perdere, perde decem.

2. ad Atti. Sic Cicero, 20 Hercule verum vt loquamur, „ſubcõtumelioſe tractatur noſter Publius, pri„mùm qui cùm in domo Cæſaris quondam „vnus vir fuerit, nunc ne in viginti quidem „eſſe poterit.

Ex ſimilibus, vt muſa eſt fœminini generis: ergo etiam poeta.

FALLACIA NOMINIS.

21 Ex nominibus infinitæ fallaciæ ſunt. Ex errore notationis illud Martialis eſt ĩ Ædiliũ,

22 *Geſtari iunctis niſi deſinis Ædile capris,* Libro 1.
Qui modò ficus eras, iam caprificus eris.

23 Ciceronis apertior eſt reprehẽſio in ac
„ cuſatorem Balbi, In qua erat accuſatoris in-
„ terpretatio indigna reſponſione, qui ita dice
„ bat, comiter eſſe cõmuniter: quaſi verò pri-
„ ſcum aliquod, aut inſolitum verbum inter-
„ pretaretur. Comes benigni, faciles, ſuaues ho
„ mines eſſe dicuntur, qui errãti comiter mon
„ ſtrant viam, benignè, non grauatè, commu-
„ niter quidem certè nõ conuenit. Notationes
vitioſas in grammaticis, quàm multas vide-
„ mus? Varronem deridet Quintilianus, Cui Libro 1.
„ non poſt Varronem ſit venia, inquit, qui agrũ
„ quòd in eo agatur aliquid: & graculos, quia
„ gregatim volẽt, dictos Ciceroni perſuadere
„ voluit: cùm alterum ex Græco ſit manifeſtũ
duci, alterum ex vocibus auium. Coniugationis magna ſæpe eſt affinitas cũ notatione, & eadẽ generis vtriuſq; exẽpla ſæpe ſunt, vt ager, agere: quod vtroque modo falſum eſt.

FALLACIA DISTRIBUTIONIS.

24 Vitia diuiſionis ſunt ea ferè quæ rerum

omnium, ſiquid deſit, ſiquid redundet. Prioris generis exemplum eſt quinto Æneidos, vbi ludorum genera quatuor proponuntur, claſsis, curſus, ſagittariorum, pugilum: quintum autem poſtea tametſi non propoſitũ deſcribitur, certaminis equeſtris. Locus ſic eſt,

Prima citæ Teucris ponam certamina claßis:
Quíque pedũ curſu valet, & qui viribus audax,
Aut iaculo incedit melior, leuibúſue ſagittis,
Seu crudo fidit pugnam committere caſtu:
Cuncti adſint, meritæq́ expectent præmia palmæ,
Sic fauete omnes, & cingite tempora ramis.

Hîc ludos quatuor tantùm proponit, præter quos tamen quintum poſtea deſcribit. Secũdi generis exemplum Cicero notauit in Epicuro libro 2. de finibus, Quomodo autẽ phi-
" loſophus loquitur tria genera cupiditatum?
" naturales & neceſſarias, naturales & non ne-
" ceſſarias, nec naturales nec neceſſarias. Pri-
" mùm diuiſit ineleganter: duo enim genera quæ erant, fecit tria: hoc eſt, nõ diuidere, ſed frangere rem. Qui ſi diceret cupiditatũ eſſe duo genera naturales & inanes, naturalium item quoque duo, neceſſarias & non neceſſarias, confecta res eſſet. Vitioſum eſt enim in diuidendo partem in genere numerare. Ad quam diuiſionis notam pertinet illa Cicero-

nianæ partitionis reprehenſio, de qua Quintilianus lib. 4. cap. 5. In omni partitione, ait, eſt vtique aliquid potentiſsimum, quod cùm audiuit iudex, cætera tanquã ſuperuacua grauari ſolet. Itaque non defuerunt, qui Ciceronis illam pro Cluẽtio partitionem improbarent, qua ſe dicturum eſſe promiſit primũ, neminẽ maioribus criminibus, grauioribus teſtibus in iudicium vocatum, quàm Oppianicum: deinde præiudicia ab iis eſſe facta iudicibus, à quibus condemnatus ſit. Poſtremò iudiciũ pecunia tentatũ non à Cluentio, ſed cõtra Cluẽtium. Quia ſi probari poſſet, quod eſt tertium, nihil neceſſe fuerit dicere priora.

FALLACIA, DEFINITIONIS

25 Cic. Illud magis miror, ne ignorans verum iter gloriæ, glorioſum putes plus te vnũ poſſe, quàm omnes: & metui à ciuibus quàm diligi malis. quod ſi ita putas, totam ignoras viam gloriæ, charum eſſe ciuem, bene de republica mereri, laudari, coli, diligi, glorioſum: metui verò, & in odio eſſe, inuidioſum, deteſtabile, imbecillum, caducum. Sic philoſophi cynici falſa definitio apud Martialem notatur: *Philip. 1.* *Libro 1.*

26 *Hunc quem ſæpe vides inter penetralia noſtræ*
Pallados, & templi limina Coſme noui,

Cum baculo peráque ſenem, cui cana putríſque
Stat coma, & in pectus ſordida barba cadit:
Cærea quem nudi tegit Vxor Abolla grabati,
Cui dat latratos obuia turba cibos,
Eſſe putas cynicum deceptus imagine falſa:
Non eſt hic cynicus Coſme: quid ergo? canis.

FALLACIA TESTIMONII.

27 E teſtimoniis porrò quàm multa ſint mendacia, quàm multiplices errores, quàm quotidiana periuria, quid oratio lõgior exprimenda eſt? pro tanto autem vitio non tradenda præcepta, ſed vota facienda ſunt, vt homines potius ratione & veritate, 28 quàm authoritate & teſtimonio ad iudicãdum moueantur.

1 Analyſis dialectica non tantùm verſatur in præceptis dialecticæ artis cognoſcendis, explorandis, diſputandis, ſed etiam multo magis in ſcriptis & exemplis excellentium authorum perſpiciendis & explicandis: in quib⁹ duplex eſt cõſiderandi ratio, vna virtutũ, altera vitiorũ, ſi modò vitia in his deprehẽdi poſsint. Analyſis igitur commodè diſtinguetur ex ſubiectis exẽplis, circa quæ verſatur, quæ vel recta ſunt, vel vitioſa. Recta ſunt quinque generum, & vitioſa totidem: quæ vtraque diligenter animaduertẽda ſunt in omnibus diſputationib⁹ in quib⁹ dialecticã exercere volumus. Quinque virtutes diſſerẽdi ex præceptis inuẽtionis & diſpoſitionis ſatis intelligũtur: quib⁹ quinq; vitia è regione reſpõdẽt, vt proprio alienũ, perſpicuo obſcurũ, certo ambiguum, vero falſum, conſentaneo inconſequens: quorum vitio-

rum duo prima,alienum & obſcurum,ad omnes inuentionis diſpoſitioníſque partes attinent,quia non ſolùm argumenta poſſunt eſſe aliena & obſcura, ſed etiam ſyllogiſmus & methodus:ambiguum & falſum ad inuentionis & ſyllogiſmi partes tantùm: quia argumentum ambiguum aut falſum poteſt eſſe,atque etiã partes ſyllogiſmi,propoſitio,aſſumptio,complexio : ſyllogiſmus autẽ totus nec ambiguus nec falſus eſt,ſicut nec vniuerſa methodus,vitium inconſequentiæ pertinet ad ſolam concluſionem,quia hæc ſola ex antecedẽtibus ſequitur, aut non ſequitur.

Quid Ariſtoteles de generibus vitiorum dialecticis virtutibus oppoſitorum?

In organo logico hæc quinque vitia,alienũ,obſcurum, ambiguum,falſum,& incõſequens ſparſim, & in variis locis damnãtur:ſed tamen ſine vlla legitima arte & doctrina notantur:alienum in Topicis & elẽchis à dicto ſimpliciter ad dictum ſecundum quid, obſcurum, ambiguũ,& falſum itẽm paſsim : inconſequens in fallacia elenchi,& ex cõſequẽnti : & in elenchis voluit Ariſtoteles omnia vitia comprehẽdere partitione fallaciarũ quæ eſſent in dictione,& extra dictionem.

2 De quinque propoſitis exemplis quatuor accidere poſſunt inuentioni dialecticæ,vt ſi argumenta aliena,ſi obſcura,ſi ambigua,ſi falſa fuerint:quæ ſigillatim deinceps explanabũtur, quia vtile eſt nõ ſolùm virtutes argumentorum noſſe,ſed etiã vitia virtutibꝰ oppoſita, vt ea damnare & vitare poſsis.Primum igitur argumẽti vitium eſt alienum,cùm ipſum argumentum nihil ad rem ꝓpoſitã attinet. Quale eſt illud apud Enniũ de Meda,

Vtinam ne in nemore Pelio
Cæſa cecidiſſent ad terram abiègna trabes:
Nunquã hera errãs hanc mihi moleſtiã exhiberet
Medea animo ægra,amore ſæuo ſaucia.

Arbores in Pelio monte cæſæ nihil ad miſerias Medeæ pertinẽt.Itaque hoc ancillæ argumentum à quæſtione

8 Analyſis reſpondet partibus artis dialecticæ. Huius igitur ſumma eſt, vt in explorãdo aliquo opere, cùm quæſtionẽ habemus, conſideremus primùm ea quę ſunt inuẽtionis dialecticæ, deinde ea quæ ſunt diſpoſitionis.

9 AEneas cõgreſſurus cum Turno Aſcaniũ filium hortatur ad imitandas virtutes maiorum ſuorum.

1 In explorandis propoſitis exemplis, quæ vel lecta, vel audita, vel etiam tantùm meditata ſint, non ſolùm laudes cernẽtur, vt propria, perſpicua, certa, vera, cõſentanea concedantur: ſed vitia notabuntur, vt aliena reiiciantur, obſcura explicentur, ambigua diſtinguantur, falſa negentur, inconſequentia ſuſpendantur. Horum duo prima alienum & obſcurum ad omnes inuentionis, diſpoſitioníſque partes attinent: ambiguum & falſum ad inuentionis & ſyllogiſmi partes tãtùm, vt inconſequens ad ſolam concluſionem.

ALIENVM.

2 Ergo in argumẽtis ſpectabitur primùm ne quid alienum ſit: frequenter enim imprudentes & incõſiderati homines hîc labũtur, & propria cõtrouerſia omiſſa res alias agũt: de quo Martialis feſtiuũ eſt & notũ epigrãma *Lib. 6.*

3 *Non de vi, neque cæde, neque veneno:*
Sed lis eſt mihi de tribus capellis:
Vicini queror has abeſſe furto:
Hoc iudex ſibi poſtulat probari.

Tu Cannas, Mithridaticúmque bellum,
Et periuria Punici furoris,
Et Syllas, Marióſque, Mutióſque
Magna voce ſonas, manúque tota.
Iam dic Poſthume, de tribus capellis.

Hoc in diſſerendo primum vitium eſt.

OBSCVRVM.

4 Obſcuritas in diſſerendo minore reprehenſione non caret: niſi enim argumẽta ſint & per ſe clara & clariora quæſtione (quæ tractatur) argumenta nulla ſunt, cùm nihil arguant, nihil oſtendant. Exemplum notabile
,, eſt apud Ciceronem, Quid enim, inquit, mea 2. De Diui.
,, cauſſa me mones, quod non intelligã? Quid
,, me igitur mones? vt ſi quis medicus ægroto
,, imperet, vt ſumat
,, *Terrigenam, herbigradam, domiportam, ſangui-*
,, *ne caſſam,*
,, potius quàm hominum more, cochleam di-
,, cat. Nam Pacuuianus Amphio,
,, *Quadrupes tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera,*
,, *Capite breui, ceruice anguina, aſpectu truci,*
,, *Euiſcerata, inanima, cum animali ſono.*
,, quum dixiſſet obſcurius, tum Attici reſpon-
,, dent, Non intelligimus, niſi apertè dixeris.
,, At ille vno verbo, Teſtudo. Nõ poteras hoc
,, igitur à principio cythariſta dicere? Obſcuri

tatẽ Cicero in illis definitionib⁹ reprehẽdit.

AMBIGVVM.

5 Ex ambiguo non minus periculoſa fallacia oritur, quàm ex obſcuro. Obſcuritas enim efficit, vt nihil intelligatur: ambiguitas oſtendit ſæpe aliud, quàm intelligi commodum ſit. Martialis de Paulo,

Lib. 2. 6 *Carmina Paul⁹ emit, recitat ſua carmina Paul⁹:*
Nam quod emas, poßis dicere iure tuum.

Illic poſſeſſor ſignificatur, quòd emerit: hìc, quòd fecerit. 7 Sic cùm Sextus Annalis teſtis reum læſiſſet, & inſtaret identidem accuſator Ciceroni, Dic Marce Tulli, nunquid potes de Sexto Annali? verſus autem dicere Cicero cœpit de libro Ennii annali Sexto,

Quis potis ingenteis oras euoluere belli?

Hoc vitium commune eſt omnium argumentorum, ambiguæ cauſæ, ambigua effecta, & cætera argumenta ambigua eſſe poſſunt. Neque tamen exiſtimari volo omnem diſputationem vitioſam, quia nullũ ferè vocabulum ſit non ambiguum: ſed ſi in eadem oratione diſsimiliter idem verbum intelligatur. Cũ autẽ eiuſmodi ambiguitas inciderit, diſtinctio adhibẽda erit. Mart. in Cæcilianũ,

Cùm dixi ficus, rides quaſi barbara verba: *Libro I.*
Et dici ficos Cæciliane, iubes:
Dicemus ficus, quas ſcimus in arbore naſci:
Dicemus ficos Cæciliane, tuos.

FALSVM, VBI CAPTIONES *& fallaciæ argumentorum.*

8 Obſeruanda deinceps erunt & ſingulorum argumẽtorum vitia propria, vnde falſæ rationes oriuntur, ne non cauſſæ vt cauſſæ, non effecta vt effecta, eodémque modo in cæteris ponantur.

NON CAVSSAE, VT CAVSSAE.

A Sinone fallaces cauſſæ equi fabricati, & in vrbem recipiendi finguntur,

Hanc pro Palladio moniti, pro numine læſo *Æne. 2.*
Effigiem ſtatuere, nefas quæ triſte piaret:
Hanc tamen immenſam Calchas attollere molem
Roboribus textis, cæló que educere iuſſit:
Ne recipi portis, aut duci in mœnia poſſit:
Neu populum antiqua ſub relligione tueri.
Nam ſi veſtra manus violaſſet dona Mineruæ,
Tum magnũ exitiũ (quod dij prius omen in ipſum
Conuertant) Priami imperio, Phrygibúsq; futurũ.
Sin manibus veſtris veſtram aſcẽdiſſet in vrbem,
Vltrò Aſiam magno Pelopeia ad mœnia bello
Venturam, & noſtros ea fata manere nepotes.

Non cauſſæ vt cauſſæ hîc confictæ ſunt.

NON EFFECTA, VT EFFECTA.

9 Effecta plerunque Vitioſa ſimiliter aſſumuntur, tanquam ab aliis profecta cauſsis. Martialis de rhetore.

Libro 1. 10 *Extemporalis factus eſt meus Rhetor,*
Calphurnium non ſcripſit & ſalutauit.

Salutare enim quempiam nominatim ac memoriter, extemporalis eloquentiæ argumentum nullũ eſt, ſed obliuioſi hominis memoriam feſtiuè Martialis notauit. 11 Quinti Fabii res geſtæ extenuabantur ab inimicis, & ouiculæ atque cũctatoris facta dicebantur, cũ eſſent boni & prudentis imperatoris.

CAPTIO EX SVBIECTIS *& adiunctis.*

12 Sic in ſubiectis magnus error accidit, in artibus præſertim, quarum nulla ferè ſuis eſt contenta finibus. Grammatici non ſcribendi modò & loquendi ſcientiam ſibi vendicant, ſed etiam poetas enarrandi: quod poſtremũ tamen eius artis alienum eſt, nec vllũ in grãmatica traditur præceptum, nec tradi debet de poetis interpretandis. Nam ſiquid in poetis dialecticum, phyſicum, ethicum, medicũ, hiſtoricũ fuerit, ex earum artium, non gram-

maticæ decretis repetendum erit. 13 Rhetores inueniendi, diſponendi, ornandi, recordandi, pronũtiandi artes ſuæ diſciplinæ ſubiiciunt: cùm ſit inuentio, diſpoſitióque dialecticorum, & memoria ſiquid artis habeat, dialecticæ diſpoſitionis quædã ſit vmbra. 14 Cæteris in ſtudiis artium vtinam non tãta reprehenſionis huius materies abũdaret vel redũdaret potius. 15 Ex adiunctis frequentior error naſcitur. Hinc ferè fraudes omnes oriũtur: fuga timoris adiunctum eſt: magnas tamen victorias imperatores callidi hac fallaci & inſidioſa ſophiſmatis ſimulatione cõſecuti ſunt. 16 Annibal Romanos ad Trebiam, ad Thraſimenũ lacum ſophiſtica iſta fallacia circunuenit. 17 Thomyris Scytharũ regina Cyrum cum ingẽti exercitu deleuit. Hinc ſimulationum penè omnium ac diſsimulationum inuolucra naſcuntur.

CAPTIOSA DISSENTANEA.

18 Ex diſſentaneis item peccatur: & aliquãdo iocus aliquis ex hoc errore quæritur.

Martialis,

Omnia Caſtor emis: ſic fiet vt omnia vendas. *Libro 7.*

Luſit in relatis emere & vendere.

Pinxiſti Venerem, colis Artemidore Mineruam:
Et miraris opus diſplicuiſſe tuum?

Martialis iocando velut repugnantia po-
Libro 5. ſuit Venerẽ bene pingere,&colere Mineruã.

FALLACIA COMPARATIONIS.

19 Ex comparatis ſunt etiam ſuæ captiones. Martialis,

Libro 5.

Quòd alpha dixi Codre,penulatorum
Te nuper aliqua cùm iocarer in charta,
Si fortè bilem mouit hic tibi verſus,
Dicas licebit beta me togatorum.

Paria videntur alpha penulatorum,beta togatorum,quia ſunt affines alphabeti literæ : cũ illa tamen primum,hac ſecundum , aut nihil ſignificemus. A maioribus idem poeta (quid enim vetat plura ex eodem idonea præſertim & illuſtria exempla ſumere?)

Libro 8. *Soluere Pete decem tibi me ſeſtertia cogis,*
Perdiderat quoniam Buco ducenta tibi:
Ne noceant oro mihi non mea crimina,tu qui
Bis centena potes perdere,perde decem.

2.ad Atti. Sic Cicero, 20 Hercule verum vt loquamur, „ſubcõtumelioſe tractatur noſter Publius,pri„ mùm qui cùm in domo Cæſaris quondam „ vnus vir fuerit , nunc ne in viginti quidem „ eſſe poterit.

Ex ſimilibus,vt muſa eſt fœminini generis:ergo etiam poeta.

FALLACIA NOMINIS.

21 Ex nominibus infinitæ fallaciæ ſunt. Ex errore notationis illud Martialis eſt ĩ Ædiliũ,

22 *Geſtari iunctis niſi deſinis Ædile capris,* Libro 1.
Qui modò ficus eras, iam caprificus eris.

23 Ciceronis apertior eſt reprehẽſio in ac„ cuſatorem Balbi, In qua erat accuſatoris in„ terpretatio indigna reſponſione, qui ita dice„ bat, comiter eſſe cõmuniter: quaſi verò pri„ ſcum aliquod, aut inſolitum verbum inter„ pretaretur. Comes benigni, faciles, ſuaues ho„ mines eſſe dicuntur, qui erräti comiter mon„ ſtrant viam, benignè, non grauatè, commu„ niter quidem certè nõ conuenit. Notationes vitioſas in grammaticis, quàm multas vide„ mus? Varronem deridet Quintilianus, Cui Libro 1.
„ non poſt Varronem ſit venia, inquit, qui agrũ „ quòd in eo agatur aliquid: & graculos, quia „ gregatim volẽt, dictos Ciceroni perſuadere „ voluit: cùm alterum ex Græco ſit manifeſtũ duci, alterum ex vocibus auium. Coniugationis magna ſæpe eſt affinitas cũ notatione, & eadẽ generis vtriuſq; exẽpla ſæpe ſunt, vt ager, agere: quod vtroque modo falſum eſt.

FALLACIA DISTRIBUTIONIS.

tributionis.

24 Vitia diuiſionis ſunt ea ferè quæ rerum

omnium, ſiquid deſit, ſiquid redundet. Prioris generis exemplum eſt quinto Æneidos, vbi ludorum genera quatuor proponuntur, claſsis, curſus, ſagittariorum, pugilum: quintum autem poſtea tametſi non propoſitũ deſcribitur, certaminis equeſtris. Locus ſic eſt,

Prima citæ Teucris ponam certamina claßis:
Quíque pedũ curſu valet, & qui viribus audax,
Aut iaculo incedit melior, leuibúſue ſagittis,
Seu crudo fidit pugnam committere caſtu:
Cuncti adſint, meritæq́ expectent præmia palmæ,
Sic fauete omnes, & cingite tempora ramis.

Hìc ludos quatuor tantùm proponit, præter quos tamen quintum poſtea deſcribit. Secũdi generis exemplum Cicero notauit in Epicuro libro 2. de finibus, Quomodo autẽ phi-
" loſophus loquitur tria genera cupiditatum?
" naturales & neceſſarias, naturales & non ne-
" ceſſarias, nec naturales nec neceſſarias. Pri-
" mùm diuiſit ineleganter: duo enim genera quæ erant, fecit tria: hoc eſt, nõ diuidere, ſed frangere rem. Qui ſi diceret cupiditatũ eſſe duo genera naturales & inanes, naturalium item quoque duo, neceſſarias & non neceſſarias, confecta res eſſet. Vitioſum eſt enim in diuidendo partem in genere numerare. Ad quam diuiſionis notam pertinet illa Cicero-

nianæ partitionis reprehenſio, de qua Quintilianus lib. 4. cap. 5. In omni partitione, ait, eſt vtique aliquid potentiſsimum, quod cùm audiuit iudex, cætera tanquã ſuperuacua grauari ſolet. Itaque non defuerunt, qui Ciceronis illam pro Cluẽtio partitionem improbarent, qua ſe dicturum eſſe promiſit primũ, neminẽ maioribus criminibus, grauioribus teſtibus in iudicium vocatum, quàm Oppianicum: deinde præiudicia ab iis eſſe facta iudicibus, à quibus condemnatus ſit. Poſtremò iudiciũ pecunia tentatũ non à Cluentio, ſed cõtra Cluẽtium. Quia ſi probari poſſet, quod eſt tertium, nihil neceſſe fuerit dicere priora.

FALLACIA, DEFINITIONIS

» 25 Cic. Illud magis miror, ne ignorans ve- *Philip. 1.*
» rum iter gloriæ, glorioſum putes plus te vnũ
» poſſe, quàm omnes: & metui à ciuibus quàm
» diligi malis. quod ſi ita putas, totam ignoras
» viam gloriæ, charum eſſe ciuem, bene de re-
» publica mereri, laudari, coli, diligi, glorio-
» ſum: metui verò, & in odio eſſe, inuidioſum,
» deteſtabile, imbecillum, caducum. Sic philoſophi cynici falſa definitio apud Martialem notatur: *Libro 1.*

26 *Hunc quem ſæpe vides inter penetralia noſtræ*
Pallados, & templi limina Coſme noui,

rum duo prima, alienum & obſcurum, ad omnes inuentionis diſpoſitioníſque partes attinent, quia non ſolùm argumenta poſſunt eſſe aliena & obſcura, ſed etiam ſyllogiſmus & methodus: ambiguum & falſum ad inuentionis & ſyllogiſmi partes tantùm: quia argumentum ambiguum aut falſum poteſt eſſe, atque etiã partes ſyllogiſmi, propoſitio, aſſumptio, complexio: ſyllogiſmus autẽ totus nec ambiguus nec falſus eſt, ſicut nec vniuerſa methodus, vitium inconſequentiæ pertinet ad ſolam concluſionem, quia hæc ſola ex antecedẽtibus ſequitur, aut non ſequitur.

Quid Ariſtoteles de generibus vitiorum dialecticis virtutibus oppoſitorum?

In organo logico hæc quinque vitia, alienũ, obſcurum, ambiguum, falſum, & incõſequens ſparſim, & in variis locis damnãtur: ſed tamen ſine vlla legitima arte & doctrina notantur: alienum in Topicis & elẽchis à dicto ſimpliciter ad dictum ſecundum quid, obſcurum, ambiguũ, & falſum itẽm paſsim: inconſequens in fallacia elenchi, & ex cõſequẽnti: & in elenchis voluit Ariſtoteles omnia vitia comprehẽdere partitione fallaciarũ quæ eſſent in dictione, & extra dictionem.

2 De quinque propoſitis exemplis quatuor accidere poſſunt inuentioni dialecticæ, vt ſi argumenta aliena, ſi obſcura, ſi ambigua, ſi falſa fuerint: quæ ſigillatim deinceps explanabũtur, quia vtile eſt nõ ſolùm virtutes argumentorum noſſe, ſed etiã vitia virtutib⁹ oppoſita, vt ea damnare & vitare poſsis. Primum igitur argumẽti vitium eſt alienum, cùm ipſum argumentum nihil ad rem ꝓpoſitã attinet. Quale eſt illud apud Enniũ de Meda,

Vtinam ne in nemore Pelio
Cæſæ cecidiſſent ad terram abiegnæ trabes:
Nunquã hera errãs hanc mihi moleſtiã exhiberet
Medea animo ægra, amore ſæuo ſaucia.

Arbores in Pelio monte cæſæ nihil ad miſerias Medeæ pertinẽt. Itaque hoc ancillæ argumentum à quæſtione

alieniſsimũ eſt. Tale vitiũ ſępe animaduertimus in hominib⁹ ſtolidis, aut hebetib⁹, aut leuibus: interdũ etiã in his, qui ingeniis abundant: nam nihil feracius hominũ ingeniis, iis præſertim, quæ diſciplinis exculta ſunt: ſed vt ſegetes fœcundę & huberes nõ ſolùm fruges, ſed etiã herbas effundunt inimiciſsimas frugibus, ſic interdum ex magnis & fœcundis ingeniis aut leuia quædam, aut à cauſis aliena, aut non vtilia gignuntur.

3 In hoc exẽplo primùm quæſtio ponitur de furto trium capellarum: à qua quęſtione aliena erant, quæ ab accuſatore dicebantur: quia narrationes de bello Cannenſi, Mithridatico, Punico, Mariano, Syllano, nihil ad probandum furtum attinent.

4 Secundum vitium inuentionis eſt obſcuritas, quæ facit, vt non intelligatur argumentũ, quod dicitur: nihil eſt enim minus ferendum, quàm vt oratio, quæ lumen rebus adhibere debet, tenebras & obſcuritatẽ adferat: qualem Cicero dicit fuiſſe Rulli tribuni plebis, cùm legem agrariam ſuaderet: Explicat (ait) orationem ſanè longam, & verbis quidem valde bonis: vnum erat, quod mihi vitioſum videbatur: quòd ex tanta frequentia inueniri nemo potuit, qui intelligere poſſet, quid ille diceret: hoc vtrum ille inſidiarum cauſa fecerit, an hoc genere eloquentiæ delectetur, neſcio. Et Martialis iocatur in Sextum poetam verſus obſcuros facientem:

Scribere te quæ vix intelligat ipſe modeſtus,
Et vix Claranus, quid rogo, Sexte, iuuat?
Non lectore tuis opus eſt, ſed Apolline libris:
Iudice te maior Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur, ſanè mea carmina Sexte
Grammaticis placeant, & ſine grammaticis.

Et Cicero libro ſecundo de diuinatione reprehẽdit cochleæ definitionem, quæ fit his verbis,

Terrigena, herbigrada, domiporta, ſanguine caſſa,

quòd longè ſit obſcurior, quàm res ipſa, quæ definitur. Cicero tamen libro ſecũdo de finibus ait licere obſcurè

loqui duobusmodis,ſi aut de induſtria facias,vt Heraclitus qui cognomento σκότινος perhibetur,quia de natura nimis obſcurè memorauit : aut cùm rerũ obſcuritas, non verborum facit,vt non intelligatur oratio , qualis eſt in Timæo Platonis:ſed tamen Heraclitus ille excuſandus non eſt:quia omnes artes quæ ad humanitatem pertinent,ſic exponi & tradi debent,vt ab iis qui eas diſcunt facilè poſsint intelligi.Obſcuris autem ęnigmatis interdum nobis vti cõceditur, quando non eſt neceſſe, aut vtile ea quę dicim⁹,ab omnib⁹intelligi & cognoſci.

5 Tertium argumenti vitium eſt ambiguitas , quæ cùm aliquid probandum ſumimus ,propter varios intellectus poſsit fallere,vt dubites, quam ſignificationẽ de multis ſequi conueniat.Ideóque perpetuò monemur à dialecticis,vt in dicendo amphiboliam fugiamus,quæ differt ab obſcuritate,quia obſcuritas facit,ne res intelligatur:amphibolia, vt alio atque alio ſenſu poſsit intelligi.Cùm igitur diſtincta fuerit ambiguæ dictionis ſignificatio ea,quã volumus ſequi, tum ambiguitatis vitium nullũ erit:& idcirco in iocis & ſalibus, qui ex ambiguo aliquo nomine ſumũtur,amphibolia laudatur,quia iucũda & percepta variæ ſignificationis intelligẽtia ſic delectat,vt tamen videre poſsis,quò iocus & facetiæ ſpectent,nec ambiguitate nominis vllo modo cõturberis: vt Africano maiori coronam ſibi in conuiuio ad caput accommodanti,cùm ea ſæpius rumperetur, Lucius Licinius varius, Noli,inquit,mirari,ſi non conuenit : caput enim magnum eſt. Iocus eſt in ambiguo nomine (magnum)ideo gratus, quia vtraque ſignificatio nominis aperta eſt,neque perturbat intelligentiam:quia Africani caput magnum dici potuit,& ipſius carnis mole , & nominis magnitudine : quod poſterius Licinius præcipuè volebat intelligi.

6 Iocus eſt in ambiguo nomine (ſuum:) carmen enim dicitur ſuum vel emptione,vel compoſitione:atque hoc genere ambiguitatis ſiquis ſerio & ſine ioco

vreretur,id vitioſum eſſet.

7 Cicero luſit in ambiguis verbis(Sexto)&(Annali) quæ aliâs ſunt nomina propria viri,aliâs communia,alterum numeri,alterum hiſtoriæ, quæ deſcribitur ſecundum ſeriem & ordinem annorum.

8 Quartum argumenti vitium eſt falſitas,cùm ex argumẽto enuntiatio falſa fit:eáque declaratur inductione per ſingulas argumentorum ſpecies.Eſt autem animaduertẽdum multas quidem res falſas tractari à poetis,neque tamen vitioſe,neque contra decorũ dialecticum: quia in his ſimilitudo quædam rerum humanarũ aut naturalium ſpectatur,vt in perſona Simonis & Pãphili faciles mores patris & filii deſcribũtur:& in Metamorphoſi Ouidii cauſæ rerum naturaliũ ſub occultis figmentis per allegoricam ſimilitudinem notantur:& in aliis eodem modo. Itaque res à poetis ſimilitudine quadã confinguntur :in ſimilitudine autem vera non ſemper ſpectatur veritas rerum,ſed interdum ſola qualitas,vt dictũ eſt libro primo.Primùm igitur de cauſis falſis dicendum,fine,forma,efficiente,materia:finis falſus eſt equi lignei à Græcis fabricati:non enim Cræci hũc fecerant,vt placarent Mineruam,ſicut Sinon mẽtitur, ſed vt dolo & fraude Troiam caperẽt. Talis error eſt in antiquis philoſophis,qui falſos bonorũ & malorum fines conſtituerunt,vt Epicurus voluptatem, Ariſtoteles actionem mundanæ virtutis.Forma falſa eſt,vt ſi anima hominis dicatur eſſe mortalis:efficiens item falſa eſt,vt quidam Romæ mentitus eſt Tyberium Gracchum eſſe patrem ſuũ.Materia ſimiliter falſa eſt,vt in rebus malè materiatis & adulterinis.

9 Effecta falſa ſunt,quæ à falſis proficiſcuntur cauſis, fine,forma,efficiente,materia. Cauſæ enim & effecta mutuam inter ſe relationem continent:itaque falſa cauſa falſi effectus:àtque item contrà falſus effectus falſæ cauſæ fuerit:neque idcirco nouis exẽplis opus eſt,quia ex proximo cauſarum loco repeti poſſunt.

10 Iocus eſt in rhetorem tardæ & debilis memoriæ: hoc autẽ exemplũ in ſeria diſputatione vitioſum eſſet, ſed vitio ipſo nobis licet abuti ad iocum.

11 Qui oderant Quintum Fabium Maximum, facta eius calumniabantur, cùm tamen eſſent recta & laudabilia. Itaque peccabant in diſſerendo, cùm res bene geſtas, malè geſtas eſſe dicerent.

12 Error in ſubiectis accidit per omnia genera: nam ſubiecta primi generis interdum falſa ſunt, vt ſi quis dixerit Myrtos optimè ali in mõtibus, aut Abietes in litoribus, vtrũque ſubiectum harum arborum fallax erit. Et ſecũdi generis, vt Mercator purpuratus fallax eſt ſubiectum regis. Et tertii generis, vt in grãmatica arte poetarum explicatio eſt falſum ſubiectum: licet Quintilianus libro primo Grammaticam diuidat in duas partes, rationem loquendi, & enarrationẽ poetarum. Sed hæc poſterior pars Grammaticæ nihil eſt: nec poetæ magis quàm philoſophi aut mathematici grãmatico, aut Grãmaticæ artis præceptis ſubiecti ſunt: ſed imperitia vulgi hunc errorem peperit: nam cùm vulgus olim videret à grammaticis poetas & hiſtoricos primùm explicari, nõ intelligebat nõ ſolùm eos homines grammaticos eſſe, ſed multis aliis artibus inſtructos. Itaque poetarum explicationẽ, quæ à multis artibus adiuuatur, Ethica, Phyſica, Mathematica, Hiſtoria, vulgus inſcienter ſoli Grãmaticæ attribuebat.

13 Rhetorica tota finibus elocutionis & actionis includitur. Inuentio, diſpoſitio, & memoria falſò in rhetoricis præceptis concluduntur, quia rhetoricę artis nihil ſunt: nec ſequitur, ſi abſque his orator ornatè dicere non poſsit, vt idcirco rhetoricæ artis partes dici debeant: quia hoc argumento Grãmatica Rhetoricæ pars eſſet, & multæ aliæ artes, quæ ad bene diſſerendum conferunt. Itaque in rhetoricis pręceptis falſa materies inuentionis, diſpoſitionis, & memoriæ traditur.

14 Nulla enim pene ars ſic traditur, vt ſuis finibus

comprehenſa, concluſaque ſit: vt Medicina totam pene Phyſicã aſſumpſit: & Euclides in Geometria partẽ Arithmeticæ confudit, & in Arithmetica multa de figuratis numeris alio loco traduntur.

15 Error in adiunctis etiam per omnia genera accidit, ſicut in ſubiectis: nam & adiuncta primi generis interdum fallunt, vt vultus & ſuperciliũ in Piſone, & mores in Catilina: Et ſecundi generis, vt fucus in muliere: Et tertii generis, vt ſi inuentio eſt falſum ſubiectum rhetoricæ artis, Rhetorica item falſum eſt adiunctum inuentionis.

16 Annibal ad Trebiam hyeme pugnanturus: cùm milites ſuos ignibus & oleo fouiſſet, Romanos rigentes gelu ſuperauit, & ad lacum Thraſimenũ, cùm lacus nebula & paluſtrib⁹ virgultis eſſet obſeſſus, clàm equitum Romanorum terga inuaſit, & in fugam vertit. Lege Liuium & Plutarchum.

17 Cyrus in Scythiam cum copiis profectus ſimulato metu quaſi refugiens caſtra ſua deſeruit epulis & vino referta, quò cùm filius reginæ Scytharum veniſſet, milites ſuos vino & cibis obrui patitur, itaque Cyrus ſtatim reuerſus omnes interficit: verũ Thomyris regina ad vlciſcendam cladis iniuriam pari inſidiarum fraude regem aggreditur: ſimulata enim fuga Cyrum vſque ad anguſtias montium perduxit, atque ibi compoſitis inſidiis duceta millia Perſarum cum rege trucidauit, vt ſcribit Iuſtinus libro primo.

18 Diſſentanea falſa & captioſa in ſingulis generibus notari poſſunt: in aduerſis, Fortis eſt, non igitur tẽperans. Fortis & temperans vidẽtur eſſe aduerſa, cùm tamen non ſint, ſed tantùm diſsimilia. In priuãtibus: vt apud Martialem.

Nocturno fœtere mero qui credit Acerram,
Fallitur, in lucem ſemper Acerra bibit.

Quanuis enim nox & lux, id eſt dies, priuantia ſint, captioſè tamen vt priuantia tractantur. In relatis: vt,

Omnia Caſtor emis: ſic fiet, vt omnia vendas.

Licet enim emere & vendere ſint relata, vitioſè tamen hoc modo inter ſe referuntur. In contradicentibus: vt Aliquis homo currit, aliquis homo non currit: contradictio fallax eſt, quia poteſt vtraque pars ſimul eſſe vera. In hoc genere vitium etiam longè maximum fuerit, ſi quis contradictionem dicat & loquatur: quomodo Socrates arguit Melitum accuſatorem ſuum, quaſi Melitus hæc dixerit. Socrates cōntra leges agit, deos eſſe nō putans, ſed deos eſſe putans. quæ quidem (inquit Socrates) iocantis nugæ eſſe videntur. Repugnantia etiam captioſa ſunt, vt

Pinxiſti Venerem: colis Artemidore Mineruam:
Et miraris opus diſplicuiſſe tuum.

Hæc pugnantia videntur eſſe, quæ tamen nō ſunt: quia de eodem ſimul affirmari verè poſſunt.

19 Cōparationes per omnia genera captioſę ſunt: interdū enim res cōparantur inter ſe vt pares, quæ tamen pares non ſunt: vt à Stoicis virtutes pares dicuntur, & paria vitia, cùm tamē eiuſmodi non ſint: Et maiores cū minoribus captioſè comparantur, vt Alexander non poteſt Venerē pingere; ergo nec Apelles poterit: vel, Poteſt aliquis perdere viginti terūcios: ergo decē aureos: vtrobique fallax eſt collatio in rebus diuerſi generis: Et minores cum maioribus conferuntur, quæ tamen non ſunt minores: vt, Seruus poteſt pingere: ergo etiam dominus. Similitudines etiam nonnullæ fallunt, qualis eſt illa: Quemadmodum nauis recens & noua melior eſt vetere, ſic amicitiæ nouæ veterib⁹ meliores ſunt. Et diſſimilitudines etiam vitioſæ quædā ſunt: vt, Non quēadmodū ignibus aurū, ſic amicus rebus aduerſis probatur.

20 Clodius petebat, vt vnus eſſet ex viginti quinque viris ad diuidendum agrum campanum: in quē Cicero iocatur ex fallaci collatione à maiori ad min⁹, Clodius ſolus vir fuit in ſacris bonæ deæ: cur igitur in viginti quinque viris eſſe non poterit.

21 Notatio falſa & vitioſa eſt,quæ falſam nominis originem & vim oſtendit : vt Donatus orationem dici putat, quaſi oris rationem:ſed falſo , cùm à verbo oro ducta ſit oratio : idem ſepulchrum,quaſi ſine pulchro, cùm perſpicuè veniat à verbo ſepelio.Et Paulus iurecõſultus poſſeſsionẽ dici vult quaſi pedum poſitionẽ:cùm ſine dubio oriatur à verbo poſsideo. Multò grauius imperiti & barbari homines hoc in loco peccarũt,qui propter ignorãtiam linguarum falſiſsimas & ineptiſsimas nominum origines commẽti ſunt:vt Dialecticã dictã eſſe à δὶα, id eſt duo:& λόγος,ſermo : quaſi duorũ ſit ſermo,cùm apertam originẽ duxerit à verbo διαλέγομαι: cuius generis infinitæ ſunt in ſophiſtarũ libris ineptiæ.

22 Martialis iocatur in AEdilum ſolitum vehi capris ad currum iunctis:

Qui modò,ait,*ficus eras*,(id eſt,refertus vlceribus in capite vel barba natis) *iam caprificus eris.* Quaſi caprificus arbor, id eſt ficus ſylueſtris dicta ſit à capra & ficus : itaque interpretatio eius nominis falſa eſt,qua tamen Martiali licuit ad iocandum abuti.

23 Cicero reprehendit falſam & ineptam etymologiã aduerbii Comiter:quod accuſator Cornelii Galbi ducebat ab aduerbio cõmuniter,cũ interpretaretur caput illud fœderis Gaditani, *Vt populi Romani maieſtatẽ comiter conſeruent:* cùm tamen potius à nomine comis diriuetur:argumentum refutationis eſt à paribus: Comis eſt benignus,non communis : ergo comiter benignè,non communiter.

24 Duo vitia legitimæ & perfectæ diuiſionis ponuntur:vnum,cùm aliquid deeſt:alterum, cùm aliquid redundat.Illud fit,cùm aliqua pars in toto compreheſa non dicitur,vt ſi quis diuiſerit virtutem in prudentiam, iuſtitiam & fortitudinem, peccabit, quia temperãtiam partem virtutis prætermittet.vitium autem redundãtię accidit,cùm in diuiſione aliquid ponitur,quo detracto, manet integra diuiſio,vt ſi animal diſtribuatur in homi

nem & beſtiam,& Socratem, poſtremum redundabit, quia Socrates in hominis natura continetur. Peccatur etiā in ſingulis generibus diuiſionis,in primo quidem, ſi totum integrum in falſa mēbra diuidatur, vt Europa in Aſiam & Africam: Aſia enim & Africa Europę nihil ſunt : in ſecundo,ſi quid vt genus diuidatur,quod tamē genus non ſit,vt homo in virum & fœminam:nō enim ſpecies ſunt hominis:in tertio,ſi falſum adiunctū diuidatur,vt rhetorica ars dicatur verſari circa inuētionis, diſpoſitionis,& memoriæ doctrinam:in quarto, ſi falſum ſubiectum diſtribuatur in adiuncta: vt Rerū incorporearum aliæ ſunt candidæ,aliæ nigræ, aliæ medio colore affectæ:eiuſmodi enī res falſo ſubiiciūtur colorib⁹.

25 Definitio multis modis reprehendi ſolet, ſi aliena,ſi obſcura,ſi ambigua,ſi parum aut nimis plena,ſi falſa denique fuerit:de quo poſtremo falſitatis vitio nunc agitur,quod cum aliis vitiis ſæpe cōfuſum eſt:definitio igitur falſa eſt,quæ non declarat naturam rei propoſitę quid ſit,breuiter,propriè,& perſpicuè:vt ſi Marcus Antonius definiat gloriam potentiam in republica ſcelere partam,& odium metúmque populi:talis definitio gloriæ falſo attribuetur,quia conſtat ex falſis glorię cauſis. Hanc igitur Cicero probat eſſe falſam ab aduerſis, hoc modo,Laudari,coli,diligi gloria eſt : quare vituperari, metui, & in odio eſſe,gloria non eſt : ſic Socrates apud Platonem paſſim ſophiſtas exagitat,vitioſiſsimis definitionibus vtentes:vt Meno virtutem definiebat præeſſe hominibus,Antiphro hominē ſanctum, qui ſceleratos & ſacrilegos in iudicium vocaret, ſiue pater eſſet, ſiue mater,ſiue quis alius:Philebus ſummum bonum frui voluptate:Hippias pulchrum vt aurum,vel virginē:Theętetus ſcientiam, ſenſum,vel opinionem : Traſimachus iuſtitiam,id quod eſt potentioribus vtile:ſic Ariſtoteles in Ethicis & Phyſicis plurima cōfutauit ab antiquis falſo & vitioſe definita.

26 Martialis iocatur ex falſa definitione Cynici,

quæ quanuis colligatur ex adiunctis veris, attamẽ quia communia ſunt, definitionem propriã Philoſophi Cynici non faciunt: neque idcirco veram: vera enim definitio eſt non ſolùm quæ verè enuntiatur, ſed etiam quæ rem propriè explicat.

27 Falſitas in teſtimoniis frequenter ineſt diuinis & humanis: in diuinis nõ his quidem, quæ à vero Deo, aut veris Dei prophetis eduntur, quorũ nullum niſi veriſsimum poteſt eſſe, ſed in his, quæ ab ethnicis vatibus & auſpicibus proferebantur: qui ſæpiſsime vel ad quæſtum, vel ad gratiam mentiebantur, vel ea proferebãt, quorum nullam certam cauſam & rationem tenebant. Demoſthenes quidẽ φιλιππίζειν Pythiam dicebat, id eſt, quaſi cum Philippo facere. Hoc autem eò ſpectabat, vt eam à Philippo corruptam diceret. Et tota veterum auſpiciorum ratione & diuinatione nihil erat fallacius: quia auis volãs & cantans, neque proſperos, neque aduerſos hominum euentus ſignificat, neque Dei voluntatem & cõſilium interpretatur, vt auſpices illi falſo putabant. Humana teſtimonia item ſæpe fallunt eos præſertim, qui temerè credentes non examinant quid, aut à quo dictum ſit, ſed authoritatem perſonæ pro ratione ſequuntur, vſurpántque illud, *Ipſe dixit, ergo verum.* Quo quidẽ errore nihil eſt in differẽdo turpius. Humanum teſtimonium fallax eſt, vt mẽdacium, quale eſt Sinonis libro ſecundo AEneidos: Et periurium, vt Annibalis & Penorum: Et tabulæ, vt ſuppoſitum teſtamentũ: & dicta teſtium, vt Gallorum contra Fonteium productorum, & Græcorum contra Flaccum, quos leuiſsimos & vaniſsimos eſſe Cicero docet in orationibus pro Fonteio & Flacco: & promiſſum interdum fallax, vt Venus lib. 1. AEneidos Iouem arguit quaſi promiſsis nõ ſtantẽ: & dicta vel ſcripta philoſophorũ aut oratorũ aut poetarum interdũ fallunt, vt ſi quis probet mundũ eſſe æternũ, quia Ariſtoteles affirmauit, Ariſtotelis dictũ eſt falſum teſtimoniũ aſſumptũ ad probandam quæſtionem.

28 In diſciplinis maximè pernicioſum eſt, vt homi nũ authoritas pro rationibus habeatur. In arithmetica & geometria vt computatio vel diměſio probetur, ridiculum eſſet, ſiquis authoritatem cuiuſquam produceret: ſola ratio & veritas pro authoritate eſt. In cæteris diſciplinis ſi ſic fieret, maior eſſet earũ abſolutio & perfectio: at quoniam tam multa opinionibus tenentur, fit vt multa quoque mendacia & commenta pro veris ſententiis habeantur.

DE MAXIMIS QVAE *vulgo nominantur.*

1 Breuiter attigimus exemplis ea vitia quæ virtutibus inuentionis oppoſita eſſe videbantur, niſi forte de maximis ꝓpoſitionibus, quę vulgo nominãtur in ſcholis, aliquid expectemus: quæ tamẽ nihil habẽt nouę pręceptionis: aliquid enim ex artis præceptis habent, vt definitionẽ, aut diuiſionem, quod pro argumento ad quæſtionem probandã ſumitur, vt affirmãti mihi artis huius omnia præcepta ad humanæ prudentiæ cõfirmationem referenda eſſe, inficiando ſi contradixeris, tum licebit vt finis maximam ꝓpoſitionem ſumã, & dicam, omnia ad ſuum finẽ referenda eſſe: finis autem eſt propter quem hæc ars inuenta eſt, vt prudentiores & conſtantiores in ratiocinando ſimus. Ex finis definitione maximam propoſitionẽ ſumpſi, & argumentũ ex finis definitione accepi: in quo nihil artis no

uæ exiſtit. Vſitatas autem eſſe rationes has in bonis authoribus nõ ſolùm fateor, ſed multis exemplis affirmo. Cicero in Topicis præceptis tales quaſdam generales monitiones propoſuit. Cauſa quid ſit effectum indicat, ait: ſic quod effectũ eſt, quæ fuerit cauſa demonſtrat. Atque in comparationis locò maiorum, parium, minorũ tales leges dedit.
„ Quod in re maiore valet, valeat in minore.
„ Item, Quod in re minore valet, valeat in ma-
„ iore. Item, Quod in re pari valet, valeat in re
„ quæ par eſt. Neque verò tãtùm in præceptis hæc argumenta poſuit, ſed in philoſophia & orationibus adhibuit. In Tuſculanis contra- *Libro. 5.*
„ riorum legem aſſumpſit: Quid ait, cùm fa-
„ tentur ſatis magnam vim eſſe in vitiis ad mi-
„ ſeram vitam, nónne fatendum eſt eandem in
„ virtute eſſe ad beatam? Contraria enim contrariorum ſunt conſequẽtia. Eiuſmodi diſsimilitudinis legẽ, ſecũda agraria, idem vſur-
„ pauit: Audes etiam Rulle mentionem facere
„ legis Semproniæ? nec te ea lex ipſa commo-
„ uet, tales viros illos xxxv. Tribuum ſuffra-
„ gio eſſe creatos? & cùm à T. Gracchi æqui-
„ tate ac pudore lõgiſsimè remotus ſis, id quod
„ diſsimillima ratione factum ſit, eodem iure
„ putas eſſe oportere? Sic in cæteris argumẽtis

ad ipſa confirmanda quædam ex eorum definitione, partibus, adiunctis argumenta ſumi-poſſunt: nec inuentionis nouæ quicquã hîc eſt. Nec tantùm ad inuentionis partes, ſed ad diſpoſitionis quoque iſta pertinent. Nã ſi cõcluſiones ad conſtantis ſyllogiſmi regulã factæ complexionem ſuam non probarẽt, eius ipſius ſyllogiſmi definitio in argumenti ſubſidium veniret. Cicero de Fato cõnexi primi proprietatem quandam ad concluſionis con-
» firmationem adhibuit: Si quod, ait, primum
» in connexo eſt, neceſſarium eſt, fit etiã quod
» conſequitur, neceſſarium. De eodem conne-
» xo proprietas eſt conſimilis in Lucullo: Ipſa
» enim ratio, ait, connexi cùm conceſſeris ſu-
» perius, cogit inferius concedere. Et idem de *Lib.* 4.
» finibus ſecundi connexi definitionem quan-
» dam attigit: Teneamus illud, ait, neceſſe eſt,
» 2 cùm conſequens aliquod falſum ſit, illud cu
» ius conſequens ſit, non poſſe eſſe verum. Sic
in Natura deorum diſiuncti ſyllogiſmi pro-
» nuntiatio quædam ab eodem ponitur: In om
» nibus diſiunctionibus, in quibus (*eſt aut non*
» *eſt*) ponitur, alterutrum verum eſſe. 3 Quamobrem omnes dialecticæ artis partes & præcepta in argumenta quæſtionis alicuius trahi poſſunt: nec tamen nouum argumenti genus

vllum erit: quæſtionis enim, de qua agitur, neceſſe eſt rationes illas, cauſas, effecta, aut aliquid reliquorum argumentorum eſſe.

1 Expoſitis quatuor argumentorum vitiis, alieno, obſcuro, ambiguo, falſo, & falſo quidem per omnia genera argumentorum, ſequitur admonitio quædã de maximis propoſitionibus, quas ſic Ariſtotelei vocãt in ſchola, quæ generales probationes & rationes ſunt ex præceptionum prius expoſitarum definitionibus, aut diuiſionibus, aut aliis locis ſumptæ: quarum nulla noua ars in dialectica tradi debet: loci enim inuentionis & diſpoſitionis non tantum valent ad alias res omnes, ſed etiam ad ſeipſas explicandum. Itaque non eſt difficile ex præceptis argumẽtorum, ſyllogiſmorum, & methodi generales præceptiones & canones: id eſt, vt ſcholaſtici loquuntur, maximas propoſitiones elicere, vt in dialectica inuentione vel definitiones argumẽtorum, vel ſententiæ quædam illuſtres ex his collectæ ad aliquid probandum aſſumũtur: vt Omnia referuntur ad ſuum finẽ: Forma dat cuique rei ſuam eſſentiam: Cauſę ex effectis, & effecta viciſsim ex cauſis demonſtrantur: Subiectorũ & adiunctorum eſt cõmunis doctrina: Diſſentaneorũ ſi vnum affirmetur de aliquo, alterũ protinus de eodem negetur neceſſe eſt: Quod valet in re pari, valeat in re quæ eſt par: Quod valet in maiore, valeat in minore: Quod valet in minore, valeat in maiore: Quæ ſimilia ſunt, eandem rationẽ habeãt: quæ diſsimilia ſunt, diſsimilem: Cõiugatorum ſi vnũ eſt, & alterũ ſimiliter erit: In diuiſione nihil debet deeſſe aut ſupereſſe. De quo negatur genus, de eodem negatur ſpecies: De quo affirmatur ſpecies, de eodẽ affirmatur genus: De quo definitio dicitur vel negatur, de eodem dicitur vel negatur res definita. Expertis credẽdum eſt: Verax eſt Deus. In ſyllogiſmis ſimiliter ad aliquid probandũ vel definitiones

vſurpantur, vel ſententiæ quædam illuſtres ex ſyllogiſmorum præceptis deductæ: vt Ex veris nihil niſi verum concluditur; Ex falſis interdum vera, interdum falſa conclusio efficitur. Sic ex methodo etiam quædã monitiones & leges fiunt, qualis eſt illa Ciceronis primo libro Officiorum: Omnis quæ via & ratione ſuſcipitur de re aliqua inſtitutio, debet à definitione proficiſci, vt intelligatur id de quo diſputatur. & Vitioſum eſt in diſputatione non eodem ordine exequi, quo propoſuimus.

2 In ſyllogiſmo connexo ſecundi modi aſſumptio conſequentem partem connexæ propoſitionis falſam aſſumit ponendo eius contradictionem, & complexio antecedentem partem falſam concludit ponendo eius contradictionem: vt

Si homo eſſet lapis, eſſet expers ſenſus:
At non eſt expers ſenſus:
Neque igitur eſt lapis.

3 Concluditur locus de maximis propoſitionibus, quas vocant, de quibus quidem dialectici velut ſecundã artem, & quaſi ab argumentorũ doctrina diuerſam tradere ſolét, cùm tamen ars hæc nulla noua ſit: quia eiuſmodi rationes ex generalibus locis ſummũtur, ſúntque quæſtionis propoſitæ vel cauſæ, vel facta, vel aliquid aliud ex reliquis argumentorum generibus.

ANALYSIS DISPOSITIONIS, *ac primum de alieno & obſcuro ſyllogiſmo.*

1 Analyſis vt inuentionis, ſic diſpoſitionis vitia virtutum oppoſitione ſpectabit. Ac de ſyllogiſmi vitiis ordine, quo de virtutibus dictum eſt, dicamus, Perſpiciamus igitur imprimis ne ſit alienus ſyllogiſmus, & concludat aliud quàm propoſitũ fuerit: 2 deinde ne

obſcura ſit eius concluſio: quod cùm verbis fit, vitium eſt Grammaticæ, non Dialecticæ. Rebus autem dupliciter obſcura fit ratiocinatio, vel quia ſyllogiſmi partes multis rebus interpoſitis confunduntur: ideóque propoſitionis, aſſumptionis, complexionis ſententia occultatur: vel quia pars aliqua ſyllogiſmi ſola ponitur, reliquis de induſtria prætermiſſis, ne ſtatui poſsit, quid hinc efficiatur. Primi generis exemplum repetatur è ſecũdo genere ſimplicium ſyllogiſmorum de Pythagoræ raciocinatione: vbi niſi diligenter attendas, vix partes ratiocinationis perſpicias. Secundi generis exemplum Cicero in Rulli lege reprehendit: 3 Datur igitur, ait, primùm vt liceat eis vendere omnia, de quibus vendendis ſenatuſconſulta facta ſunt M. Tullio, C. Cornelio Coſs. aut poſtea, Cur hoc tam eſt obſcurum atque cæcum? quid? iſta omnia, de quib⁹ ſenatus cẽſuit, nominatim in lege præſcribi nónne potuerunt? Duæ ſunt obſcuritatis huius cauſæ Quirites, vna pudoris, ſiquis pudor eſſe poteſt in tam inſigni impudẽtia: altera ſceleris. Hìc Cicero ſophiſma Rulli coarguit, quòd generalem tantùm propoſitionem poſuerit: in qua occultè aſſumptio, cõplexióque lateret, & furtim recõdita eſſet.

AMBIGVITAS.

4 Ambiguitas in oratione magnopere vitanda eſt, vt in argumentis anteà monuimus: ea interdum accidit vitioſa argumenti cũ partibus quæſtionis diſpoſitione, de quo nunc agitur. Duo calamitatis ex hac fraude inſignia exempla de duobus regibus cõmemorantur, Crœſo & Pyrrho. Crœſus Lydiæ rex appollinem de bello aduerſus Cyrũ Perſarum regem cùm conſuleret, oraculo ambiguo falſus eſt:

Crœſus Halim penetrãs, magnã peruertet opũ vim.

Credidit Crœſus, cùm Halim Capadociæ fluuium traieciſſet, ſe hoſtium magnam vim peruerſurum: peruertit autem ſuam, ait in diuinatione Cicero. Pyrrhus Epirotarum rex, cùm eundem conſuleret Apollinem de bello Tarentino cõtra Romanos, ſimilis ambiguitate reſponſi deluſus eſt: *Libro. 2.*

Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.

Credidit Romanos ſe victurum Pyrrhus, victus autem eſt à Romanis.

CAPTIOSA CONCLVSIO.

5 Conſiderandũ deinceps erit de tota ſyllogiſmi diſpoſitione, quàm conſtanter partes inter ſe cohæreant. Sæpe enim non par-

tium falſitas, ſed concluſionis inconſequentia refellitur. Cuiuſmodi ſunt iſta ſophiſmata

Quiſquis dicit te animal eſſe, dicit verum:
Quiſquis autem te aſinum eſſe dicit, dicit te eſſe animal:
Quiſquis igitur dicit te aſinum, dicit verum.

Item illud quod Diogeni obiectum eſt:

Quod non amiſiſti, habes:
Cornua non amiſiſti:
Cornua igitur habes.

Videtur ad leges primi generis ſimplicis compoſita prior eſſe concluſio, cùm tamen argumentum animal, non generaliter vt doctrina requirit, ſed ſpecialiter antecedat maius extremum quæſtionis, & ſecundi exempli propoſitio cùm ſpecialiter efferatur, eodem in vitio erit: ſin generaliter intelligatur, falſa erit: cornua enim non amiſimus, quæ nunquam habuimus.[6] Stoicum illud Zenonis conſectarium vitioſe concluditur:

3. de. Natu. deorum.

„ *Quod ratione vtitur, id melius eſt, quàm quod ratione non vtitur:*
„ *Nihil autem mundo melius:*
„ *Ratione igitur mundus vtitur.*

Ibidem.

7 Itaque meritò à Cotta deridetur. Hoc, „ ſi placet, iam efficies, vt mundus optimè legere librũ videatur. Zenonis enim veſtigiis

,, hoc modo rationem poteris concludere:

,, *Quod literatum eſt, id eſt melius, quàm quod non*
,, *literatum:*
,, *Nihil autem mundo eſt melius:*
,, *Literatus igitur eſt mundus.*
,, Iſto modo etiam diſertus & quidẽ mathe-
,, maticus, muſicus, omni denique doctrina e-
,, ruditus, poſtremò philoſoph⁹ erit & mũdus.
Clarius etiã vitiũ concluſionis eius intelligetur, ſiquid abſurdius concludas hoc modo:

Denarius maior eſt ſenario:
Infinito autem numero nihil eſt maius.
Infinitus ergo numerus eſt denarius.

Tametſi ſatis idonea reprehẽſio eſt vitioſę concluſionis, quod ad nullum modum legitimi ſyllogiſmi conficiatur: vera tamen concluduntur aliquando diſpoſitione fallaci. Vt apud Perſium:

8 *An quiſquam eſt alius liber, niſi ducere vitam* Satyra 5.
Cui libet, vt voluit? licet, vt volo, viuere: non ſum
Liberior Bruto?

Sequere diſpoſitionẽ hãc, errabis aliquãdo: vt

An quicquã eſt aliud homo, niſi quod animal eſt?
Equus autem animal eſt:
Equus igitur homo eſt.

Fallax eſt concluſio. 9 Denique nihil ex omnibus negantibus & ſpecialibus enuntiatis

in vllo ſimplici ſyllogiſmo, nihil in primo genere ex propoſitione ſpeciali, vel aſſumptione negata, nihil in ſecundo ex omnibus affirmatis aut propoſitione ſpeciali, nihil in tertio ex aſſumptione negante, aut generali cõplexione, nihil item omnino ex modificatis cõtingẽtibus vel puris, vel miſtis cõcluditur.

FALLAX CONNEXIO.

10 Connexis ſyllogiſmis quanuis non congruentibus ad conſtantiam ſpeciémque doctrinæ, multum tamen vtimur. Vtile eſt igitur admonere inconſtantes eas concluſiones eſſe. Terentius,

In Adel. 11 - *D. cæterum*
Placet tibi factum Mitio? M. non, ſi queam
Mutare: nunc quum non queo, æquo animo fero.

Pro Mure. 12 Cic. Etenim ſi largitionem factam eſſe
„ confiterer, ídque rectè factum eſſe defende-
„ rem, facerem, improbè etiam, ſi alius legem
„ tuliſſet: cùm vero nihil commiſſum eſſe con
„ tra legẽ defendam, quid eſt quod meã defen-
„ ſionem latio legis impediat? Ouidius,

2. Triſt. 13 *Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat*
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit:
Nunc vbi detonuit, ſtrepitúque exterruit orbem:
Purum diſcuſſis aëra reddit aquis.

Iure igitur genitórque deûm, rectorque vocatur:
Iure capax mundus nil Ioue maius habet.

» 14 Cæſar apud Saluſtium, Si digna pœna pro
» factis eorum reperitur, nouum conſilium ad-
» probo. ſin magnitudo ſceleris omnium inge
» nia exuperat, his vtendum cenſeo, quæ legi-
» bus comparata ſunt. Quanuis enim falſa non ſint omnia generis huius exempla, iiſdem tamẽ veſtigiis falſum effici cõcludíq; poteſt: vt

15 *Si arbor equus eſſet, viueret:*
Sed arbor equus non eſt:
Non igitur arbor viuit.

Propoſitio, aſſumptióq; verę ſunt: cõplexio autem falſa. Proprium autem ſyllogiſmi eſt, certam diſpoſitionem & nunquam fallẽtem præſcribere, vt antecedentibus poſitis conſequentia neceſſariò concedenda ſint. Rarum eſt vitium cõnexi ex cõſequentis aſſumptione: incidit tamen aliquando. Ouidius,

16 *Quem ſi cura deûm tam certa vindicat ira,* 4. *Metam.*
Ipſe precor ſerpens in longam porrigar aluum:
Dixit, & vt ſerpens in longam tenditur aluum.

Ratiocinatio igitur ſic habet:

Si dij ſtatuerunt vindicare Cadmum, fiat ſerpens:
Sed fit ſerpens:
Ergo dij ſtatuerunt vindicare.

Fallax eſt iſta concluſio. dic enim

Si arbor equus eſſet, viueret:
Sed viuit arbor:
Ergo arbor equus eſt,

Veris partibus antecedentibus falſa complexio efficitur. Quanquã vtroque iſto & tollendi antecedẽtis & retinẽdi cõſequentis genere videtur cõcluſiones firmæ effici, ſi modò antecedẽs negetur, cõſequẽs affirmetur:

EXEMPLVM REMOTI *antecedentis.*

Virgil. AEne. 10. 17 *Si ſine pace tua, atque inuito numine Troes*
Italiam petiere, luant peccata, neque illos
Iuueris auxilio: ſin tot reſponſa ſequuti
Quæ ſuperi, manéſque dabãt, cur nũc tua quiſquã
Flectere iuſſa poteſt, aut cur noua condere fata?

Pro Mure. 18 Cicero, Quod ſi licet deſinere, ſi te au- » thore poſſum, ſi nulla inertiæ, nulla ſuper- » biæ turpitudo, nulla inhumanitatis culpa ſuſ » cipitur, ego verò libenter deſino: Sin autem » inertiã fuga laboris & deſidiam, repudiatio » ſupplicum ſuperbiam, amicorum neglectio » improbitatem coarguit: nimirum hæc cauſa » eſt eiuſmodi, quam nec induſtrius, nec miſe- » ricors, nec officioſus deſerere poſsit.

EXEMPLVM RETENTI *conſequentis.*

Terẽtius ex ſermone Cliniæ & Clitipho-

nis ratiocinationem ita concludit, vt conſequens retineat. Ait igitur Clinia,

19 *Si nihil mali eſſet, iam hîc adeſſent:* *In Heaut.*
Iam aderunt, inquit Clitipho.

Concludit tandem Clinia,

Nihil igitur eſt mali.

Propoſitio iiſdem verbis ponitur. Aſſumptio exornatur adiũctis loci & perſonarum, quòd longè mulieres & abſint, & quòd multum temporis, dum ornantur, abſumũt. Sermò igitur ſic eſt,

Clin. Si nihil mali eſſet, iam hic adeſſent. Clit. iam aderunt. Clin. quando iſtuc erit?
Clit. Non cogitas hinc longius abeſſe? & noſti mores mulierum:
Dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt. Clin. ô Clitipho,
Timeo. Clit. reſpira: eccum Dromonem cum Syro vnà adſunt tibi.
Sy. Aín tu? D. ſic eſt. Sy. verùm interea dum ſermones cedimus,
Illæ ſunt relictæ. Clit. Mulier tibi adeſt: audín Clinia?
Clin. Ego verò audio nunc demum, & video, & valeo Clitipho.

Quanuis autem in his exemplis cõſtantia & conſequentia certa concluſionis videatur, ea

tamen non tam diſpoſitionis genere, quàm rerum cohęrentia & ratione efficitur.[20] Vtilitas autem pręcipua retexendi ſyllogiſmi eſt in breuioribus aut lōgioribus diſputationibus, quæ plerunque obſcuriores ſolent eſſe. primi generis illa ſunt, cùm ſyllogiſmi partes magis comprehendūtur, quàm diſtinguntur, vt in illo Miloniano principio, „ Etſi vereor, iudices, ne turpe ſit, pro fortiſsimo viro dicere incipientem, timere, miniméque deceat, cùm T. Annius Milo magis de reipublicæ ſalute, quàm de ſua perturbetur, me ad eius cauſam parem animi magnitudinem adferre non poſſe. Retexe enim ſententiam hîc incluſam, ſyllogiſmum hunc inuenies:

Pro fortiſſimo viro dicere incipientem, timere turpe eſt:
Cicero pro Milone fortiſſimo viro dicere incipiens timet:
Eſt igitur turpe.

Nec vllus ſyllogiſmus ſimplex eſt, qui nō poſſit vna cōnexi ſyllogiſmi propoſitione cōprehendi: vt *Si nemo timidus eſt liber:*
Et omnis auarus eſt timidus:
Certè nemo auarus eſt liber.

Eodémque modo in cęteris concluſionibus. Longioris autem diſputationis retexēdæ genus illud ſit: vt cùm in perpetuæ ac lōgæ ora-

tionis partibus multos ſyllogiſmos diſtinxeris, vno ſummā totam complectare omnibus detractis amplificationibus, notatis tamen, ſi commodum eſt, capitibus argumentorū. Sic Milonianam Ciceronis orationem in vnum concluſionis modum concluſam perſpicies.

Inſidiatorem & ſceleratum licet interficere.

vt populi, iudiciorum, ſenatus, Marii, naturalis & humanæ legis authoritas teſtatur: nec ſenatus, nec Pompeii leges vllæ reclamant.

At P. Clodius inſidiator & ſceleratus fuit.

Inſidias ſiquidem parauit vtilitate, odio, improbis moribus, ſpe impunitatis impulſus: quod ipſius & voce & factis intellectum eſt: ſceleratum verò fuiſſe, in deos atque homines facinora eius arguunt.

Clodius igitur iure cæſus eſt.

Hac diſpoſitione Milonis defenſionē Cicero concluſit hoc modo. Cùm verò poetā, cùm oratorem, cùm alium quenuis ſcriptorem legendum & explicandum ſumpſeris, totum ſic excuties, & in breuem concluſionis alicuius ſummam comprehendes.

☞ 1 Virtutes ſyllogiſmi ſunt expoſitæ libro ſecundo: de vitiis dicendū eſt: quæ ſunt in genere quatuor: ſi ſyllogiſmus alienus ſit, ſi obſcurus, ſi in partibus ſuis ambiguus, ſi denique inconſequens & inconſtans. Syllogiſmus alienus eſt, qui aliud concludit, quàm ſit propoſitū: vt ſiquis vellet cōcludere virtutem eſſe ſummum bonū,

& mathematicum illud concluderet hoc modo:

Omne triangulum tribus lateribus æquale habet tres angulos æquales duobus rectis:
Iſopleuron eſt triangulum tribus lateribus æquale:
Iſopleuron igitur tres angulos habet æquales duobus rectis.

hic ſyllogiſm⁹ legitim⁹ quidē eſt, & ad artis normā cōpoſitus, ſed tamē vitioſus, quia à ꝓpoſita queſtione alien⁹.

2 Secundum ſyllogiſmi vitium eſt obſcuritas: quæ eſt vel in verbis, vel in rebus: obſcuritas in verbis licet vitioſa ſit, non eſt tamen hoc vitium imputandū dialecticæ, ſed grammaticæ: quia dialectica doctrina eſt mētis & intelligentiæ: grammatica verò verborum ſcientiam & proprietatem ſibi vendicat: itaque ſiquid in verbis peccatur, grammaticæ vitio peccatur: rebus autem duobus modis obſcuratur ſyllogiſmus, vno, cùm longa oratio interiecta inter partes ſyllogiſmi facit, vt vix ſyllogiſmus agnoſcatur, vt apud Ouidium libro decimo quinto metamorph. ſyllogiſmus Pythagorę cōtra eſum carniū ob eam cauſam obſcurus: altero, cùm partes ſyllogiſmi de induſtria ſubticētur: de qua occultatione prępipit Ariſtoteles octauo topico, vt ad fallendū aduerſarium, quicum diſputamus, interdum vnam, interdū plures partes ſyllogiſmi prætermittamus & ſubticeamus.

3 *Omnia de quibus vēdendis ſenatuſcōſulta facta ſunt M. Tullio & C. Cornelio coſſ. aut poſtea, vendūtor:*
Sed loca publica vrbis, & ſacella, & mōs Gaurus, & ſalicta ad Minturnas, & Herculanea via ſunt ex hoc genere:
Hæc igitur omnia venduntor,

Rullus in oratione ſua aſſumptionem & complexionē reticuit, ne appareret eius manifeſta improbitas: & idcirco ratiocinationem ſuam de induſtria obſcurauit.

4 Tertium ſyllogiſmi vitium eſt ambiguitas, cū ea incidit in vnam, aut plures partes ſyllogiſmi: tum enim ſæpe fallit ratiocinantem: & in errorem falſæ conclu-

ſionis deducit: vt cùm Crœſus accepto ab Apolline oraculo ita ſecum ratiocinatus eſſet,

Crœſus Halim penetrans magnam peruertet opū vim:
Ego ſum Crœſus Halim penetrans:
Ego igitur magnam peruertam opum vim.

Deluſus eſt ambiguitate propoſitionis: putabat enim ſe peruerſurum vim hoſtium: peruertit autem ſuam: Ambiguitas autem in ſyllogiſmi partibus accidit aliquãdo ex argumento: de quo vitio antea dictum eſt. Interdum ratione partium quæſtionis, quæ ſunt ambiguæ: vt in exemplo propoſito. Sic Pyrrhus rex Epirotarum deceptus fuit, cùm ex oraculo Apollinis ambiguo ſic apud ſe ratiocinaretur, Apollo dicit,

Aio te AEacida Romanos vincere poſſe:
Ego ſum AEacides:
Romanos igitur vincere poſſum.

Ambiguam propoſitionẽ ſic interpretatus eſt, vt putaret à ſe Romanos victum iri, cùm tamen eſſet ſecus intelligendum, à Romanis Pyrrhum victum iri.

5 Quartum ſyllogiſmi vitium dicitur inconſequẽtia: omnis autem ſyllogiſmus inconſequens eſt, qui ad artis prius expoſitę legem & normam non cõuenit: atque ita appellatur, quia in exemplo propoſito, aut in alio quopiam ſimili propoſitione & aſſumptione veris complexio vera non ſequitur, ſed falſa.

6 Syllogiſmus fallax eſt & inconſequens: quia nõ eſt cõpoſitus ad vllam legẽ artis: In ſecũdo enim genere ſimpliciũ ex omnib⁹ partib⁹ affirmatis vitioſe cõcluditur. Idem exemplũ eſt libro primo de inuẽtione rhetorica: ſyllogiſmus aũt in primo genere ſic rectè fieret,

Quicquid optimum eſt, vtitur ratione:
Mundus eſt optimus:
Mundus igitur vtitur ratione.

7 Cotta refellit vitioſum ſyllogiſmum Stoicorum: vitioſo exemplo ſimilis diſpoſitionis, vbi propoſitione: & aſſumptione veris concluſio falſa ſequitur.

8 Hic error eſt inconſeqnentiæ: quia in ſecundo genere ſimplici concluditur èx affirmatis omnibus: vt

Omnis liber viuit, vt vult:
Ego viuo vt volo:
Ego ſum igitur liber.

9 Incōſequentiæ vitia conſideranda ſunt in ſyllogiſmis eo ordine, quo virtutes ſyllogiſmorum in præceptis artis perſpeximus: ac primùm circa definitionem ſyllogismi accidit error, vbi nō idē argumētū in propoſitione & aſſūptione diſponitur, ſed aliud & diuerſū: vt

Omnis virtus eſt laudabilis:
Omnis iuſtitia eſt expetenda:
Ergo omnis iuſtitia eſt laudabilis.

Syllogiſmus fallax eſt, qnia ei definitio ſyllogiſmi non cōuenit. In ſyllogiſmis autem ſimplicibus duplex eſt error communis omnium generū. Primus, ſiquis ex omnibus partibus ſpecialibus ratiocinetur: vt

Aliquod animal eſt aptum ad riſum:
Aliquis equus eſt animal:
Ergo aliquis equus eſt aptus ad riſum.

Secūdus, ſiquis ex omnib⁹ partibus negatis cōcludat: vt

Nullus homo currit:
Nullus equus eſt homo:
Ergo nullus equus currit.

Antecedētibus partibus veris complexio falſa ſequitur. Quinetiam vitia ſunt ſingulis generib⁹ propius oppoſita, quæ ex inſpectione virtutum facilè deprehēduntur: vt in primo genere ſyllogiſm⁹ propoſitione affirmat⁹, & aſſnmptione negatus captioſus eſt: quia nō cōuenit ad vllum modum primi generis: & antecedentibus partibus veris falſam complexionem efficit: vt

Omne animal eſt ſubſtantia:
Nullus lapis eſt animal:
Nullus igitur lapis eſt ſubſtantia.

Vel propoſitione ſpecialis & aſſumptione generalis: vt

Aliquod animal non currit, vt equus:

Omnis homo eſt animal:
Ergo aliquis homo non currit.

In ſecundo genere duo item vitia ſunt, ſi omnes partes affirmentur: vt

Omnis homo eſt animal:
Omnis equus eſt animal:
Ergo omnis equus eſt homo.

In quo genere fallaciæ eſt conſectarium Stoicorũ prius expoſitum: Vel ſi propoſitio ſit ſpecialis, & aſſumptio generalis: vt

Aliquod animal non ridet:
Omnis homo ridet:
Aliquis igitur homo non eſt animal.

Tertii generis item duo ſunt vitia, ſi ſyllogiſmus ſit cõplexione generalis: vt

Omnis homo eſt animal:
Omnis homo eſt ſubſtantia:
Ergo omnis ſubſtantia eſt animal.

Vel ſi aſſumptione fuerit negatus: vt

Omnis homo eſt animal:
Nullus homo eſt equus:
Ergo nullus equus eſt animal.

Ex cõtingentibus etiã puris nihil vnquam concluditur,

Quiduis currens contingit hominem eſſe:
Omnem equum contingit currere:
Omnem igitur equum contingit hominem eſſe.

Neque etiam fit ſyllogiſmus ex contingentibus, & abſolutis enuntiatis: quia poſsit alicubi antecedentib⁹ veris concluſio falſa ſequi: vt

Nullus lapis vigilat:
Omne animal contingit vigilare:
Nullum igitur animal contingit lapidem eſſe.

Hoc poſtremum falſum eſt: quia mutua cõſecutione cũ affirmatione ſua conſentit, *Omne animal contingit lapidem eſſe*: in contingentibus enim modificatis ſi affirmatio falſa fuerit, & negatio item falſa erit: & contrà.

10 Expoſitis adulterinis & fallacibus ſyllogiſmis, qui vidētur aliquam ſimplicem argumenti diſpoſitionē imitari, deinceps videndum eſt, qui ſint fallaces & incō ſtantes modi in coniuncta argumenti diſpoſitione: In ſumma autem cōnexis duplex error accidit. Primus, cū tollitur antecedens, vt conſequens tollatur. Secundus, cùm retinetur conſequens, vt retineatur antecedens: & quanuis exempla prioris generis apud bonos authores permulta reperiantur, admonendū tamen eſt eiuſmodi concluſiones ad iudicandū de re propoſita firmas & cō ſtantes nō eſſe, propterea quòd alicubi cōtingit errare, & antecedentibus veris falſum concludere, quo argumēto, inconſequētiæ & inconſtantiæ vitiū diiudicatur.

11 Mitio obiurgatus à Demea fratre, quòd permitteret ciuem Atticam pauperculam ab Eſchino vxorem duci, reſpondet ſe non probare quidem factum, ſed tamen æquo animo ferre: Syllogiſmus ſic eſt:

Si factum mutari poſſet, non ferrem:
Sed mutari non poteſt:
AEquo igitur animo mihi ferendum eſt.

12 Cicero purgat ſe Sulpitio, quòd legem de ambitu tulerit, & tamen Murenam defendat reum ambitus: Argumentum ſic diſponitur:

Si defenderem Murenam ambitum commiſiſſe, ídque iure, facerem improbè:
Sed non defendo Murenam ambitum commiſiſſe:
Quare nihil improbè facio.

Ex remotione antecedentis remouetur conſequens.

13 Excitat Auguſtum ad miſericordiā ſimili exemplo Iouis, quod ita diſponitur:

Si Iupiter omnia mortalium delicta velit punire, tandem erit inermis & impotens.
Sed non omnia delicta punit:
Et propterea rex eſt potentiſsimus, & ſummus & maximus.

14 Cæſar cenſet Lentulum, Cethegū, & alios participes coniurationis nō eſſe morte multandos, ſed ha-

bendos in vinculis: Argumentum ſic diſponitur:

Si coniurati pœna ſuis flagitiis digna puniri poſſint, acerbiſsima morte puniantur:

Sed non poſſunt pro merito puniri:

Ne igitur morte puniãtur, ſed in vinculis habeantur.

15 Exemplum eſt ad oſtendendam inconſequentiam in hoc genere diſpoſitionis, vbi tollitur antecedês ad tollendum conſequens: antecedentibus enim veris complexio falſa ſequitur: ſyllogiſmi autem regula certa eſt & conſtans, quæ nũquam fallit, quin propoſitione & aſſumptione veris concluſio vera efficiatur.

16 Verba ſunt Cadmi Thebis profugi, & apud Illyrios ſic cũ ſua coniuge moleſtos caſus animo repetêtis:

Si dij irati ſunt mihi, quia ſparſi humũ dêtibus ſerpêtis à me interfecti, vltionis cauſa fiam ſerpens:

deinde aſſumptio additur à poeta,

Quòd Cadmus repentè factus ſit ſerpens:

vnde concluditur id quod antecedit,

Deos videlicet iratos fuiſſe Cadmo, propter interfectũ ſerpentem.

17 Venus orat Iouem, vt liberet Troianos obſeſſos: Argumentum preſsius ita concluditur:

Si Troiani bona pace tua in Italiã nõ venerũt, luãt pœnas:

Sed bona pace tua venerunt in Italiam:

Ne luant igitur pœnas.

1 Cicero confirmat iuſtum eſſe officium defenſionis pro Murena: Propoſitio antecedête parte negatur, conſequente affirmatur:

Si neque iners, neque ſuperbus, neque inhumanus eſſem, libenter deſinerem Murenam defendere:

deinde aſſumptio tollit antecedentem partem:

Sed iners & ſuperbus & inhumanus eſſem:

Et complexio tollit conſequentem.

Quare non deſinam Murenam defendere.

19 Clinia apud Terentium torquetur mora & dilatione Antiphilæ amicæ ſuæ.

20 Expoſitis quatuor ſyllogiſmi vitiis, alieno,obſcuro,ambiguo,incõſequenti,admonitio poſtrema reſtat de præcipua vtilitate retexendi ſyllogiſmi,ad comprehendendam & æſtimandam propoſitæ rei ſententiam. Retexitur autem ſyllogiſmus vel in breui,vel in longa diſputatione:prioris generis exempla repetantur ex libro ſecundo,vbi breues clauſulæ ex optimis authoribus citantur. Poſterioris generis exemplũ eſſet, ſiquis totã aliquam Ciceronis orationem ſyllogiſmo complecteretur:vt diuinationem contra Cecilium, hoc modo:

Is eſt potiſſimum eligendus actor ,quem Siculi maximè velint,& Verres nolit.

Itemque is reiiciendus,quem Siculi nolint,& Verres maximè velit.

Sed Siculi Ciceronem expetunt , quem imprimis idoneum ad hanc cauſam agendam cognouerunt : Verres eundem metuit,quem ſentit firmum & grauem & ſanctum & diſertum fore accuſatorem:Siculi verò Cecilium nolũt ſibi ipſis ſuſpectum,& ſocium Verris, & indiſertũ,& ſubſcriptoribus indiſertis vallatũ,nec vlla iuſta cauſa ſuſcipiẽdæ accuſationis fretũ:& Caius Verres eũdẽ Ceciliũ maximè expetit, ob eas ipſas cauſas, & vt accuſatoris preuaricatione infamia iudiciorũ liberetur.

Quare in hac Sicilienſi cauſa Cicero eligendus eſt actor,& Cecilius reiiciendus.

Sic ſumma ſecũdæ orationis de lege Agraria eſt in hoc ſyllogiſmo,

Si inſidias fieri libertati veſtræ ſimulatione legis Agrariæ intelligetis, defendite Quirites ab his inſidiis veſtram libertatem.

Sed illud ex creatione decemuirorum, & ex poteſtate,quæ illis permittitur,intelligi poteſt:

Quare hac extincta peſte libertatẽ veſtrã retinete.

Aſſumptio declaratur per partes legis Agrariæ,quæ ſũt de conſtituendis decemuiris ſumma authoritate & poteſtate præditis,déque vẽdendis,emẽdis,& diſtribuendis agris publicis. Ad hunc modum reliquæ Ciceronis

orationes ſingulæ in breuem quendam ſyllogiſmũ facilioris intelligentię & iudicii gratia concludi poterũt.

ANALYSIS METHODI.

1 Eadem etiam analyſis in methodo & tota rerũ diſpoſitione ſequenda eſt & exercenda. Diſputationes & explicationes omnium generum in oratoribus & poetis, in artibus ipſis, Grãmatica, Rhetorica, Dialectica, Mathematicis, Philoſophia denique tota ad methodi legẽ perſpiciẽdæ: nec laudabiles tantũ, ſed etiam vitioſæ: quemadmodum Socrates apud Platonem Lyſiæ orationem reprehendit, quòd nihil definiat, nihil partiatur: qua ex confuſione rerum immenſa quædam obſcuritas exiſtit. Eſt autem magni erroris non eodẽ perſequi partes ordine, quo propoſueris: obeſt enim perſpicuitati plurimũ, cuius tamen cauſſa ordo & diſpoſitio laudatur. In
„ quod vitiũ Cicero pro Deiotaro incidit: Re-
„ liqua pars, ait, accuſationis duplex fuit: vna,
„ regem ſemper in ſpeculis fuiſſe: cùm à te ani
„ mo eſſet alieno: altera, exercitum eum cõtra
„ te magnũ comparaſſe: de exercitu dicam bre
„ uiter, vt cætera. Hîc partem poſteriorẽ priore loco exequitur. Eodem modo Virgilius in exẽplo partitionis imperfectæ paulò antè poſito lapſus eſt: tertium enim & quartum mẽbrum conturbato ordine tractauit, tertium quippe quarto, & quartum, tertio loco. Cõ-

fuſio hæc ὑστερολογία dicitur à grammaticis, & in Homero frequens notatur, vt iam hoc Homerico tanquã ſanè bello & ſpecioſo vitio Cicero per iocum in epiſtola quadam ad Atticum vtatur, vbi cùm duas res ita propo-
" ſuiſſet: Quæris ex me quid acciderit de iudi-
" cio, quod tam pręter opinionem omnium fa
" ctum ſit: & ſimul vis ſcire quomodo ego mi-
" nus, quàm ſoleã, præliatus ſim. Cùm, inquã,
" duas res ita propoſuiſſet, ait: Reſdondebo ti-
" bi ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς. Tum priore loco declarat, quod poſteriore fuerat ab eo propoſitum. 2 Videndum etiam diligenter erit vniuerſum illud alieni vitium. Tam enim eſt in vitio qui reſiſtẽtem aperta, quàm qui ſua ſponte ſequẽtem occulta via ducit. Minimè verò neceſſe eſt hoc loco cõmemorare, quã omnes methodi nomẽ in ore habeãt, quámque vera methodo vtatur ferè nemo. In diſciplinis explicandis via vna & ſimplex eſt à generibus ad ſpecies, ab integris ad partes: quã vix, ac ne vix quidem tot annorũ ſeculis vlla in arte adhuc obſeruatam videmus. Quãobrem in analyſi vitia hæc cernentur, ne aliena, obſcura, ambigua, falſa, inconſequentia ſint, quæ dicantur. Sed de geneſi iam tempus eſt vt pauca dicãtur: ſatis enim multa, ſuperque de analyſi præcepta ſunt.

1 Diximus hactenus in Analyſi de vitiis argumentorum & ſyllogiſmorum:reſtat vt de vitiis methodi pauca dicamus:quæ duo ſunt alienum & obſcurum. Methodus obſcura fit duob⁹ modis:vno,ſi neque definitè,neq; partitè propoſita res doceatur:vnde Cicero Acad.1,reprehendit Epicureos,qui nihil definiunt,nihil partiũtur,nihil apta interrogatione concludunt:nullã denique artem nec dicendi,nec differendi putant:& Socrates in Philebo Platonis reprehendit orationem Lyſiæ, quòd in laudando amore & pulchro non docuiſſet quid ſit amor & pulchrũ,neque in certa genera diſtinxiſſet, vnde factũ eſſet,vt oratio Lyſiæ prętermiſsione eiuſmodi luminum dialecticorum paulò obſcurior videretur: altero modo perturbatur & confunditur diſpoſitio doctrinæ,non ſi neque definias,neque diuidas,ſed ſi ordinẽ partiũ permiſceas & confundas:turpiſsimũ eſt enim (vt ait Fabius libro quarto)non eodem ordine exequi, quo quidque propoſueris.In quo vitio eſt deſcriptio ludorum libro quinto AEneidos:nam cùm Virgilius quatuor ludorum genera propoſuiſſet,claſſem,curſum,certamẽ ſagittariorum & pugilũ, perturbato ordine partium expoſuit tertio loco pugilum certamen,& quarto ſagittariorũ:nec poteſt excuſari Virgilius,quaſi ſit prudentiæ methodum ſequutus:quia in hac perturbatione ordinis nulla voluptatis aut cõmoditatis cuiuſquam ratio ſpectari potuit.Tertio modo methodus obſcuratur, ſi rem in docẽdo diſtribuas non in proximas, ſed remotiſsimas partes:ſępe enim fit,vt dum nimis in diuiſione properamus,rem ipſam tardius abſoluamus:de quo vitio fugiendo Socrates nos admonet in ciuili Platonis. Quarto modo digreſsiones longiores interpoſitæ inter partes propoſitæ diſputationis interdũ pariunt obſcuritatẽ ordinis,vt non facilè cernamus,qua via & quo ordine tota progrediatur oratio.

2 Secundum vitium methodi eſt,ſi ea fuerit aliena, vt ſiquis docendus,doceri tamen nolit,adhibere initio

definitiones & partitiones rerum, ſtultũ & alienũ eſt. Item ſiquis docendus doceri maximè velit, non adhibere initio definitiones & diuiſiones rerum, ſtultum & alienum eſt.

GENESIS.

1 Geneſis non eſt inſpectio propoſiti exempli, vt analyſis, ſed effectio noui operis: quæ meditatio vnam & eãdem viam in ſcribendo dicendóque ſequitur. Et quanuis vox ad docendũ multo valentior ſit ſcriptura, linguáque ſit manu diſertior, 2 vt ſapienter in Phædro extremo Socrates diſputat: ſcriptionis tamẽ exercitatio natura & tempore prior eſt: cuius non alia via eſt, quàm Rhetores exercendæ eloquẽtiæ tradiderunt. Quamobrẽ (vt 3 Craſſus ait) in iſtis ipſis exercitationibus etſi vtile eſt etiã ſubito ſæpe dicere, tamẽ illud vtilius ſumpto ſpatio ad cogitandũ paratius atque accuratius dicere. Caput autẽ eſt (quod vt verè dicã, minimè facimus: eſt enim magni laboris, quẽ plerunque fugimus) quãplurimũ ſcribere. Stylus optimus ac præſtantiſsimus vt dicendi, ita diſſerendi effector ac magiſter. Nam ſi ſubitã & fortuitam orationem commentatio & cogitatio facilè vincit, hanc ipſam profectò aſsidua ac diligens ſcriptura ſuperabit. 4 Scribendi verò dicẽdíque prima facillimáque via eſt imitatio, quæ pru

denter quos imitari velit,ſeliget,vnus è Latinis Cicero in Orationibus,in Philoſophia,in Oratoriis inſtitutionibus (quanquam hic authoritate veterum deceptus eſt) ſæpe etiã in epiſtolis multum proderit,ſed & omnium rerum diligẽtes ac accurati ſcriptores. Præcurſione igitur interpretationis & luminis,virtutibus authoris ad imitandũ propoſiti cognitis & perſpectis quęſtio aliqua conſimilis earum rerũ,quæ ab illo quem imitamur,tractãtur,imitãda proponetur,ſcribendo dicendóque explicabitur,quam maximè ad veritatem & ſimilitudinis expreſsionem accõmodate:ita enim inuentionem acuemus,& confirmabimus diſpoſitionis prudentiam, cùm ex alienis virtutibus(vt accidit in ſole ambulãtibus) colorari nos ſentiemus. Deinde ab imitatione ſcriptio dictióque ſe ipſam diſiũget,& ſecũ ipſa certabit: quæſtionẽ liberam ſumet de bonis rebus & malis,de iucũdis & vtilibus, déque omnibus cõmuni hominum iudicio ſubiectis,& induſtria propria explicabit:omnes inuẽtionis artes excitabit:nullũ intentatũ genus argumenti relinquet:quæſtionis vtranque partem per omnia argumẽtorum genera deducet. Hinc veterum ſophiſtarum de rebus omnibus ex tempore dicẽdi facultas extitit:hinc Academiæ dubitatio

& cõtra omnes omniũ ſententias diſputatio: hinc ab Ariſtotele de ſingulis rebus in vtranque partem diſſerẽdi manauit inſtitutio: hinc Ciceronis, & excellentium oratorũ quotidiana declamitatio: hinc omnis copia rerum & ſuppellex : hinc omnis probatio fideſque: hinc motus ferè omnis ac delectatio animorũ. Quare quoniã in hac parte tantũ boni eſt, magnus labor, magnum ſtudium eſt adhibẽdum, vt inde rerum abundantiam quàm ampliſsimã, & ad omnem diſputationem promptiſsimam facultatẽ hauriamus : deinde pari diligentia iudicii gradus omnes erunt exercẽdi, quicquid interpretandum ſcribẽdo, dicendóque fuerit aliqua ratiocinationis forma, quanuis non perpetuò plena concludatur: vtque quæſtionem eandẽ per omnes locos inuentionis, ſic per omnes modos ratiocinationis deducamus: aliud alio modo argumentum concludamus: vt non tantum argumentis, ſed ſyllogiſmorũ modis ſubinde nouis ſemper vtamur. In perpetua autẽ & multiplici rerũ explicatione methodi regula ſimiliter exercẽda: atque vt interpretationem, ſic ſcriptionem dictionémque poſſumus per omnes artes deducere. Quis enim alienũ vel incommodum putabit, ſi nõ ad alios docendum, certè ad ſtudiorum fructum augendũ,

commentarios artium ſingularum dialectica iſta ratione conficere? Imò verò quoniam tota hominis vita nihil aliud eſſe, quàm ratiõis vſus, id eſt dialecticæ exercitatio debet: ſic rationis & dialecticę naturalis artem, quanquã breuiter & paucis præceptis cognitam, tota vita tamen in rebus omnibus meditemur & exerceamus, nec ab hominis vita dialecticũ vſum ſeparemus, nec hominẽ ab animali dialectico, id eſt, rationali diſtinctum & diuerſum faciamus. Tandem certè vt in cæteris artificiis omnibus, ſic in hoc vniuerſo, & omnia alia cõplectente, veriſsimũ illud eſſe percipiemus, artẽ nõ tam præceptis, quàm exercitatione cognoſci multáque quę otioſe in ſcholis pueri ieiuna atque arida putabamus, in hoc vſu diligentiſsimè verſati mirabimur: atque ipſe ſenſus variis conſuetudine & exẽplis, & multiplici vſu informatus aliquid oſtendet, quod quieta cogitatio, quãuis acutiſſima, non poterat intelligere. Quamobrem quantus erit exercitationis labor, tanta erit artis non ſolùm vtilitas, ſed ſcientia, prudentiáque.

1 Dialectica duobus modis exercetur, Analyſi & Geneſi. Analyſis perſpicit & interpretatur res iam factas, vt authorũ libros & diſputationes ea ratione, quã hactenus expoſuimus: Geneſis ſequitur dicta à verbo γίγνομαι, id eſt fio, vel naſcor, quaſi ſit operis alicuius ge-

neratio & effectio. Definitur itaque geneſis non quælibet (eſt enim communis omnium artium, ſicut initio diximus) ſed geneſis dialectica, qua aliquid legibus & præſcriptis dialecticæ artis condimus & efficimus.

2 Socrates in Phædro. Scriptio, ait, eſt picturæ perſimilis: opera nanque picta tanquam viuentia ſunt: ſi quid verò interrogaueris, verecundè admodum ſilent: non ſecus exiſtimabis ſermones, quaſi aliquid intelligant, dicere: verùm ſi cupidus cognoſcendi ab iis aliquid petieris, idem ſemper & vnum ſignificabunt: omnis nanque ſermo cùm ſemel ſcriptus eſt, paſsim reuoluitur æquè apud intelligentes, & apud eos, inter quos minimè decet: neſcítque dicere quibus oportet, & quibus non oportet: iniuria verò affectus & contumelia, ſemper eget præſidio patris: quia neque ipſe aduerſario repugnare, neque ſibi ipſe opem ferre poteſt.

PH. Hæc quoque abs te rectè dicta videntur. SO. Quid porrò? alium videmus ſermonem fratrem huius, quemadmodum legitimus ſit, & quanto melior atque potentior, quàm is naſcatur. PH. Quem iſtum: & quomodo fieri dicis? SO. Eum, inquam, qui in animo dicentis cum ſcientia ſcribitur: quia ſibi ipſi auxiliari poteſt: intelligítque apud quos loquẽdum ſit, & apud quos tacendũ.

PH. Scientis ſermonem dicis viuentem & animatũ: cuius oratio ſcripta ſimulachrum quoddam iure vocabitur. Hoc loco Socrates vocem comparat ſcripturæ, vt exemplar viuũ ſuo ſimulachro: quia vox ſit prima & princeps interpres mentis & intelligentiæ: & ſcriptura vocis, ſicut Ariſtoteles docet li. primo de interpretatione.

3 Craſſus libro primo de Oratore, cùm de ratione exercitationis diſputat, dialecticam exercitationẽ cum rhetorica confundit, quemadmodum dialecticã artem cum rhetorica arte confuſam videmus in iiſdem oratoriis dialogis. Geneſis igitur dialectica duplex ex rhetorum libris & inſtitutis repetenda eſt, ſcriptio & dictio: vtraque prima diuiſione diuiditur in ſubitã ſiue extem-

poralem & in cogitatam,accuratéque factã:licet enim ſcribere & dicere vel ſubitò & ex tempore,vel ſumpto ad cogitandum ſpatio:quod vtrunque genus tametſi vtile eſt,poſterius tamen magis approbatur: quia multò prudentius & ſapientius loquimur,& ſcribimus ea quæ diligentia cogitationis & meditationis præceſsit.

4 Scriptio & dictio rurſus diuiduntur cõmuniter in duo genera:vnum,quod imitationem vocamus: alterũ, quod nomine caret, cùm aliquid nullo propoſito nobis authore,ingenio & arbitrio noſtro ſcribimus vel loquimur. Imitationis duæ ſunt primæ cautiones:vna,vt optimos authores eligamus,altera vt eorum virtutes,nõ vitia ſequamur:atque hæc imitatio multum proderit primis dialecticę tyronibus,vt cùm aliquem familiarem & popularẽ authorem,qualis eſt inter Latinos Cicero,legerint,audierint,intellexerint, in ſimili materia dialecticas virtutes eius authoris in inuẽtione & diſpoſitione rerũ pro viribus imitentur & exprimant:Hic enim primus campus eſt,in quo dialectica geneſis verſari debet:errant autem plerique homines imperiti,qui exiſtimant dialecticæ artis vſum ad exercitationes ſcholaſticarum queſtionum duntaxat accommodari poſſe & debere:lõgè enim maior & amplior eſt eius artis fructus, íſque tam latè patet,quàm humanæ rationis vſus in vita patet. Quemadmodum autem grammatica geneſis primùm exercetur,cùm pueri diſcũt in Latinis aut Græcis ſcriptoribus puritatẽ ſermonis imitari,& voce vel ſcripto aliquo exprimere:ſic iidem pueri,cùm dialecticam artem perceperint,hanc primam in popularibus & facilibus authoribus commodiſsimè exercebunt,& in eorũ veſtigiis perſequendis paulatim dialecticam prudentiã acuent,& excitabunt: & quemadmodum cùm quis in ſole ambulat,etiam ſi ob aliam cauſam ambulat, fit natura tamẽ vt coloretur:ſic cum pueri exemplo Ciceronis & aliorum authorum ſtudioſius dixerint & ſcripſerint,ſentient prudẽtiam & orationem ſuam illorũ vir-

tutibus, quaſi ſole colorari. Alterum dictionis & ſcriptionis genus, quod fit ſine vlla imitatione, multũ proderit iam tum adultis, qui cùm diu, multúmque vires ingenii & prudentiæ imitandis in ſcribendo & dicendo prudentium hominum virtutibus aluerint, auxerint, cõfirmarint, experientur tandem quid ipſi per ſe poſsint. Itaque liberam aliquam queſtionem omnibus argumẽtorum generibus explicare, omnibus ſyllogiſmorũ ſimpliciũ & coniunctorũ modis concludere, & rebus quæ tractabũtur, via & ordine collocãdis planè & facilè deducere tentabunt: quæ meditationis & exercitationis diligentia in dicendo vel ſcribendo mirabiles nobis cõmodidates & vtilitates prebebit: quæ perfecit, vt quantus inter Græcos Demoſthenes differendi prudentia, quantus inter Latinos Cicero acumine ingenii & præſtantia dicendi ſcribendíque fuerit, tantus vterque hoc ipſo maximè, quòd dialecticã inuẽtionis & diſpoſitionis prudentiam in priuatis publicíſque ſtudiis aſsiduè exercuit, euaſerit.

DE MEMORIA

1 Dialecticæ exercitationi ſatiſfactũ iam nũc eſſe arbitror. Acceſsio memoriæ (quam diſpoſitioni fecimus) nobis eſt adiungenda, ſuáque exercitatione breuiter ornãda: in qua quia præcepta nulla noua ſunt, quid aliud requirẽdum eſt, quàm vt exemplo res illuſtretur? Sit igitur puer, qui querimoniam Penelopes apud Ouidiũ de Vlyſsis abſentia poſt euerſam Troiam, memoriç cõmendare velit:

Sed mihi quid prodeſt veſtris diſiecta lacertis
Ilios & murus, quod fuit antè ſolum,

Si maneo, qualis Troia durante manebam,
Virque mihi dempto fine carendus abeſt?
Diruta ſunt alijs: vni mihi Pergama reſtant:
Incola captiuo quæ boue victor arat.
Iam ſeges eſt, vbi Troia fuit; reſecandáque falce,
Luxuriat Phrygio ſanguine pinguis humus.
Semiſepulta virûm curuis feriuntur aratris
Oſſa, ruinoſas occulit herba domos.
Victor abes: nec ſcire mihi quæ cauſa morandi,
Aut in quo lateas ferreus orbe licet.
Quiſquis ad hæc vertit peregrinā littora puppim;
Ille mihi de te multa rogatus abit:
Quámque tibi reddat: ſi te modò viderit vſquā;
Traditur huic digitis charta notata meis.
Nos Pylon antiqui Neleia Neſtoris arua
Miſimus: incerta eſt fama remiſſa Pylo.
Miſimus & Sparten, Sparte quoque neſcia veri
Quas habitas terras, aut vbi lentus abes:
Vtilius ſtarent etiam nunc mœnia Phœbi;
Iraſcor votis heu leuis ipſa meis.
Scirem vbi pugnares, & tantùm bella timerem;
Et mea cum multis iuncta querela foret:
Quid timeam ignoro: timeo tamen omnia demēs:
Et patet in curas area lata meas.
Quæcūque æquor habet, quæcunque pericula tellus:
Tam longæ cauſas ſuſpicor eſſe moræ.

Hunc totum locum cùm viderit puer primo connexo ſyllogiſmo comprehēſum, par-

tes ſingulas notabit:earúmq; præcipuas exornationes:propoſitionē igitur aſpiciet initio in quatuor primis verſibus poſitam:

Sed mihi quid prodeſt veſtris diſiecta lacertis
Ilios, & murus, quod fuit antè ſolum,
Si maneo, qualis Troia durāte manebam,
Vírque mihi dempto fine carendus abeſt?

Deinde ſequitur ex diſſentaneis abſentię amplificatio nondum poſitæ aſſumptionis: At tu abes, & quidem nimium diu, quia cæteri redierunt, tu ſolus abes tam multis poſt deletam Troiam tēporibus: vbi ſex ſunt verſus:

Diruta ſunt aliis, vni mihi Pergama reſtant,
Incola captiuo quæ boue victor arat:
Iam ſeges eſt, vbi Troia fuit, reſecandáque falce,
Luxuriat Phrygio ſanguine pinguis humus.
Semiſepulta virûm curuis feriuntur aratris
Oſſa, ruinoſas occulit herba domos.

Duodecimus verſus habet aſſumptionē auctam maiori: Non modò abes, ſed ſic abes, vt ſcire nequeam, vbi lateas: quod exaggeratur factis Penelopes: Interrogo, ſcribo, mitto in omnes orbis partes, nec quicquam de te audio: decem ſunt hîc verſus:

Victor abes: nec ſcire mihi quæ cauſa morandi,
Aut in quo lateas ferreus orbe licet.
Quiſquis ad hæc vertit peregrinā littora puppim,
Ille mihi de te multa rogatus abit:

Quámque tibi reddat, ſi te modò viderit vſquam,
Traditur huic digitis charta notata meis.
Nos Pylon antiqui Neleia Neſtoris arua
Miſimus: incerta eſt fama remiſſa Pylo.
Miſimus & Sparten, Sparte quoque neſcia veri
Quas habitas terras, aut vbi lentus abes.

Concluſio tandem viceſimoprimo ſecundóque verſu per contrariũ ſignificatur: duo tantùm ſunt verſus:

Vtilius ſtarent etiam nunc mœnia Phœbi:
Iraſcor votis, heu leuis, ipſa meis.

Sed & ipſi concluſioni amplificatio accedit ex adiuncto, quod ipſum ex repugnantibus augetur: ſex ſunt verſus:

Scirem vbi pugnares, & tantùm bella timerem:
Et mea cum multis iuncta querela foret:
Quid timeam ignoro: timeo tamen omnia demẽs:
Et patet in curas area lata meas.
Quæcũque æquor habet, quæcũque pericula tellus,
Tam longæ cauſas ſuſpicor eſſe moræ.

Quamobrem cùm hac interpretationis diligentia, puer totam ſententiam diſtinxerit, vel à diligenti præceptore diſtinctam acceperit: & ex octo & viginti verſibus quatuor ꝓpoſitioni, ſexdecim aſſumptioni, octo concluſioni tribuerit, hac ſyllogiſmi deſcriptione non ſolùm partes, ſed partiũ quoque ſententiam ſibi repræſentabit. Nam cùm ſcierit

hîc primo locó propoſitionem, ſecundo aſſumptionem, tertio concluſionem eſſe: ſciet itidem ex cogniti ſyllogiſmi legibus, quę vis cuiuſque partis eſſe debeat: quinetiam hac ratione facillimè φαντασίας animo concipiet: per quas imagines rerum abſentium ita ſubiiciet animo, vt cernere oculis, ac præſentes habere videatur. Vt in hoc exẽplo occurrent antiquæ vrbis ruinæ, agricolæ, oſſa, nautæ, mulier ſolicitè interrogans, tabellarii, bella, naufragia, cædes:[2] In orationibus autẽ diſputationibúſque longioribus ediſcẽdis methodi diſpoſitio ſimilem cõmoditatem præbebit. Nam tũ definitiones diſtributionéſque vniuerſas tanquã digitos in manu, tum deductos velut articulos definitiones diſtributionéſque ſingulares ſequemur: omniúmque numerum tanto facilius habebimus, quanto eſt methodi ordo ſyllogiſmi ordine neſcio quo modo familiaris magis, magíſque naturalis. Exemplum de noſtris inſtitutionibus cõmodiſsimum hîc erit, vt dialecticã ſui ipſius imprimis memoriam cõfirmet, quæ aliis opem confirmandæ memoriæ polliceatur: Figuretur igitur hîc primis rerum notis artis dialecticæ ſumma, & vniuerſa partitio: quæ, quod dicimus, oculis etiam ſpectãdum proponat.

- Dialectica.
  - Inuentio arg.
    - inſ.
      - P
        - R
          - S
            - C
              - Ca
              - Ef.
                - fin.
                - for.
                - effi.
                - ma.
                  - abſolutæ.
                  - adiuuantis.
                  - procreantis.
                  - conſeruātis.
                  - ſponte.
                  - nō ſpō.
                    - na.
                    - ne.
                    - for.
              - Su.
              - ad qđ
                - ieſt.
                - circūſt.
                - circūoccupatur.
            - D
              - C
              - R
                - aduerſi
                - pri.
                - rel.
                - cōt.
                  - Verbo·
                  - E.
                    - S
                      - C
                        - ge.
                        - ſp.
                      - propria
                    - coniuncta.
          - Compa.
            - quātitate
              - pari.
              - impari.
                - maiori
                - minori
            - qualitate
              - ſimili.
              - diſſimili.
        - N
          - notatio.
          - coniuga.
      - Orti.
        - Di. ex.
          - cauſis.
          - effectis.
          - ſubiectis.
          - adiunctis.
        - De.
          - propriæ.
          - deſcriptionis
    - Aſſump
      - diuini.
      - humani.
  - Diſpoſitio.
    - Syllogiſmus
      - Simplex.
        - 1
          - 1 uſq.uni.& aff.
          - 2 uſq.uni. aſſ.aff.
          - 3 uſq.aff.pro. uni
          - 4 pro.uni.aſſ.aff.
        - 2
          - 1 uſq. uni.aſſ. aff.
          - 2 uſq.uni.pro.aff.
          - 3 aſſ. aff.pro. uni.
          - 4 pro. uni. & aff.
        - 3
          - 1 uſ.af.p.et aſ.un.
          - 2 aſ.af.p.& aſ.un
          - 3 uſq.aff.aſſ. uni.
          - 4 uſq.aff.pro.uni.
          - 5 aſſ.uni.& aff.
          - 6 pro.uni.&aſ.af
      - Cōiunctus
        - C
          - 1 ret.ant.ut cōſ.re
          - 2 tol.cō.ut tollāt.
        - D
          - 1 tollit ut retineat
          - 2 retinet ut tollat.
    - Methodus.
      - doctrinæ.
      - prudentiæ.

3 Itaque partitis hoc modo diſtributiſque rebus, vt verborũ quoque contextus facilius ediſcatur, qui ab arte auxilii nihil admodum capit: (niſi fortè quòd res ordine diſtributæ ſua vocabula ſecũ rapient: ac, vt Horatius ait,

In Artes *Verbáque prouiſam rem non inuita ſequẽtur*)

accedat ſi placet meditatio, vt per partes paulatim memoria ducatur: 4 quinetiam modica voce in meditãdo animus excitetur. vt duplici motu dicendi & audiendi memoria iuuetur: tum certè ſi qua ratio memoriam poſſit adiuuare, illa diſpoſitionis admonitio iuuabit: 5 licebítque philoſophis & oratoribus (qui locis & imaginibus artem quãdam memoriæ cõfinxerunt) per nos quidem valere: nihil enim pollicentur, quod nõ vberius multò, faciliúſque teneamus. Aiũt enim ordinem prodeſſe memoriæ: ſed externis & commentitiis eum ſignis & ſimulachris inſtruũt: nos ordinis rebus ipſis inſiti doctrinam certiſſimam, rerúmque veriſsimas imagines adhibemus. illi verborum memoriam infinitate formarum cõturbant, dum propter ſingula verba ad ſingulas ſpecies eſt reſpiciendum: nos hanc partem rerum cõpoſitione & collocatione (quãtum natura fert) adiuuamus. Quapropter quicquid eſt, quod ad cõfirmandam

memoriam doctrina poſsit efficere, id totum diſpoſitionis dialecticæ doctrina præſtabit.

1 Dialecticam artem duobus modis exerceri poſſe cõſtat, analyſi & geneſi: memoriç, quæ ſequitur, exercitatio nihil aliud eſt niſi meditatio, qua propoſitã aliquã orationem vel ſententiam ediſcimus ſecundum artem ſyllogiſmi & methodi: ars enim diſpoſitionis non tantum ad iudicandum & explicandũ, ſed etiam ad recordandum valet. Analyſis memoriæ duplex eſt: vna qua breuiorem ſententiã ſyllogiſmo cõpræhenſam notatis partibus & inſpecto ordine earum partium ediſcimus: altera, qua longiorem diſputationem via methodi memoriæ mãdamus, & à generalibus definitionibus & diuiſionibus ad ſpeciales, & his ſubiectas, ſi eiuſmodi diſpoſitio in oratione ſeruatur, vel à rebus diſpoſitis, quicunque alius ordo deſcriptus fuerit, excolendæ memoriæ gratia progredimur.

2 Secunda ratio exercendæ & confirmandæ memoriæ ſequitur ordinem dialecticæ methodi: vt cum volumus longiorem aliquam orationẽ animo memoriáque comprehendere, videamus quo modo diſpoſita ſit, cogitationémque ad ordinem partium referamus.

3 Fabius libro vndecimo, Si longior, ait complectẽda memoria fuerit oratio, proderit per partes ediſcere: & hæ partes non ſint perexiguæ: alioqui multæ erunt, quæ eam diſtinguent, atque concidẽt: dandi ſunt certi quidam termini, vt contextum verborum, qui difficillimus eſt, continuet crebra meditatio, partes deinceps ipſas repetitus ordo coniungat.

4 Fabius libro vndecimo, Ediſcere tacitè optimum eſſet, ſi non ſubirent velut otioſum animum plerunque aliæ cogitationes: propter quas eſt excitandus voce, vt duplici motu iuuetur memoria dicendi & audiendi: ſ[illegible] hæc vox ſit modica & magis murmur.

5 Rhetores in mnemonicis præceptis [illegible]

moriæ artem in locos & imagines:locos volũt eſſe illuſtres,explicatos,modicis interuallis rectè atque ordine diſpoſitos:cuiuſmodi ſunt oſtium,feneſtra,angulus, caminus,fornix,intercolũnium,& ſimilia:& imagines iubent in locis diſponere acres & inſignes,& quæ celeriter occurrere,& animũ percutere poſsint: quarũm admonitu facilè & expeditè nobis liceat quod volumus, meminiſſe:eáſque partiuntur in duo genera,vt aliæ ſint rerum,aliæ verborũ:rerum imagines exprimũtur, cùm ſummatim ipſorum negotiorũ notas comparamus:verborum ſimilitudines conſtituuntur,cùm vniuſcuiuſque nominis memoria imagine aliqua notatur. Quam doctrinam de fingendis locis & imaginibus ad memoriæ ſubſidiũ Quintilian⁹ lib.vndecimo deridet,& iure quidẽ deridet:quia nõ ſolùm vanũ,ſed etiã valde laborioſum ſit ad aliquid ediſcendũ locos & imagines extrinſecus cõparare:cùm labor ipſe ediſcendi geminari videatur fingendo locos & imagines,& orationem propoſitam huc reuocando:nec ſolùm geminari,ſed etiam fruſtrà ſuſcipi,præſertim cùm iſta commenta magis memoriam perturbent,quàm adiuuent.Adde etiam quòd ſenſus non eandem imaginem ſemper habeant, quam res ipſæ quæ ediſcũtur:& ſi quis imagines omnium verborum quæ ſunt in actionibus in verrem, cõſtituere velit, nónne(inquit Fabius)impediri quidem eorum quę dicit,decurſum neceſſe eſt duplici memorię cura?nã quomodo poterũt copulata fluere,ſi propter ſingula verba ad ſingulas formas reſpiciendũ erit?Fabius itaque damnata locorum & ſimulachrorũ vana & inutili doctrina, quam Græci curioſe magis,quàm vtiliter inuenerunt, cenſet memoriam duabus rebus magnopere iuuari, diuiſione & cõpoſitione:nam qui rectè diuiſerit,nũquam poterit in rerum ordine errare:& quæ bene compoſita ſunt,memoriam ſua ſerie ducent.Diuiſio autem & cõ[poſitio], de quibus loquitur,nihil ferè aliud ſunt,niſi ra[tionis] diſpoſitio vel ſyllogiſmi vel methodi.

PERORATIO OPERIS.

[1] Quamobrē propoſitis artis, naturę cõueniētibus inſtitutis, & exercitationis meditatione deſcripta, habemus adumbratā quandā dialecticæ virtutis imaginē: dignitatē dicere de re tanta nō audeo. Maior enim quædā huius facultatis vis eſt, q̃ [2] vulgò exiſtimari ſolet. [3] Hīc imperii ampliſsimi atq; vniuerſum terrarū orbem cõmunibus legibus adminiſtrātis ſimile quiddam mihi videre videor: tametſi enim multę prouinciæ, varię regiones, diſsimiles præfecturæ in illo ſint imperio: omnes tamē iiſdem legib⁹ gubernantur. Alius in Aſia pręfectus, alius in Aphrica, in Europa ſit alius, & variis inſignib⁹ titulíſq; nominētur Aſiaticus, Aphricanus, Europeus: generales tamē leges omnibus æquabiliter propoſitæ ſunt, quibus reſpublicas ſibi cõmiſſas & traditas moderentur. Ita cùm ſit vna rationis virtus & natura, qua res omnes explicātur: licet ſubiecta materies, in qua verſatur & exercetur, varias in partes diuerſáſq; ſecta ſit, pars alia Mathematis, alia naturis rerū, alia morib⁹ hominū, alia aliis circūcluſa: [4] omnes tamen cõmunibus dialecticæ præceptis inueniēdi, diſponēdíq; cōtinentur ac tractātur. Et licet in diſtinctis diſsimiliū generum finibus moderandis & conſtituēdis varia hominum in-

genia occupentur, variiſque idcirco nominibus appellentur, grammatici, rhetores, poetæ, hiſtorici, arithmetici, geometrę, muſici, aſtrologi, phyſici, ethici: 5 lex tamen vna ratióque dialectica tum cogitandi, tum diſponendi propoſita eſt, qua res ſibi ſubiectas interpretētur. Itaque vt communionem illam dialecticæ ad res omnes pertinentem breuiter indicaremus, nulla quidem à phyſicis, mathematicis, aut reliquis maiorum diſciplinarum ſtudiis exempla petiuim⁹, quòd perſuaſum omnibus eſſet apud earum doctores artium, ſummũ dialecticę ſplendorem eſſe: nec eorum tamen exempla ad illuſtrandam dialecticam ſatis eſſe idonea, 6 cùm ſint poſterioris & poſtea perceptæ cognitionis. 7 Verùm è ſimplici prudentiæ communis vſu (qui cæteris in rebus arte nulla comprehenſis verſatur, omnium dialecticarum laudum teſtimonia ſumpſimus: atque ea quidem quàm maximè potuimus inſignia. Poetas enim & oratores, id eſt claros & illuſtres cõmunis illius ſenſus, & humanę prudentiæ teſtes in ſingulis doctrinæ locis adhibuimus: qui cùm dialecticam non ſolùm in priuatis doctorum hominum ſcholis, verùm etiã in iudiciis, in ſenatu, in cõcionibus, in theatris, in omnibus denique humanę vitæ partibus vigentem flo

rentémque demonſtrauerint, tum facilè ſingularem hunc rationis fructum, omnium hominum communẽ eſſe vindicabunt: popularíque illa ſua non ſolùm ſapientia, verùm etiã ſuauitate & elegantia maiores certè virtutis huius amores excitabunt.

1 Explicatio dialecticæ virtutis concluditur per epilogum trium partium, ex quibus ipſa conſtat.

2 Vulgo hæc ars in ſcholaſticis altercationibus collocatur, neque vllũ præterea vſum habere exiſtimatur.

3 Similitudo ad explicandum quàm latè pateat dialecticæ artis vſus: vbi generales diſſerendi regulæ generalibus maximi imperii legibus comparantur.

4 Quia omnes artium præceptiones primùm inuẽtæ ſunt, quod dialecticæ inuẽtionis opus eſt: deinde iudicatæ & probatæ, quæ ſyllogiſmi vis eſt: poſtremo collocatæ & diſpoſitæ, quæ ars eſt methodi.

5 Artifices in ſuis artibus definitiones & diuiſiones, & reliqua probationum genera explorãt ex dialecticis definitionis, diuiſionis, & aliorũ argumẽtorum normis & regulis: & ſi de vero & falſo dubitant, ad ſyllogiſmi iudicium recurrunt: & ordinis diſpoſitionẽ methodi legibus contemplantur: dialectica igitur differt à cæteris artibus, ſicut cauſa ab effectis: quia homo omnes artes non alia vi, quàm mentis & rationis inuenit, & inuentas probauit & collocauit.

6 Dialectica prior eſt ordine, & prius cognoſcenda: cæteræ rerum artes poſt dialecticam tradendæ & cognoſcendæ ſunt: non bene autem rebus nõdum cognitis & poſterioribus vteremur ad res priores & antecedentes explicandum.

7 In rebus arte comprehenſis dialecticam facilè videmus: in cæteris rebus nulla arte comprehenſis poetæ & oratores dialecticam etiam verſari demonſtrant: ex

quibus exempla potius petenda fuerunt ad explicatio-nem inſtitutionum dialecticarum, quàm ex magnarum artium doctoribus. Quemadmodum enim grammaticè vſus & exempla licet in mathematicis & philoſophicis ſtudiis ſint, attamen grammaticus cùm rudem puerum docebit, talibus exemplis rerum obſcurarum & nõdum cognitarum minimè vtetur, ſed facilibus, prõptis, & in medio poſitis: ſic dialecticę primus vſus, & prima exercitatio in facili & populari materia verſari debet.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,

EXCVDEBAT MATTHAEVS DAVID

NON. IANVAR.

1552.

Vita Nova
di M. Sllitti
Latina-(B. Piave)
1971